



1.
1.
17
1.
17
1.
2.
3.
X.
17
1.



1775

1. Heyd, Jo. Georgius Fredericus: *De jure emigrandi in Germania*

1778

1. Heyd, Johannes Georgius Fredericus: *De revocatione ul. limae voluntatis*

1779

1. Antemich, J. F.: *Die uneingeschränkte Vertreibung der Bauern - Gutes, oder Honors - Leben...*
2. Grub, Lud. Frid. Joh: *De factis ordinis succedendi in fenda legitimi*
3. Schmidlin, Johann, Fredericus: *De juribus et obligationibus gentium mediarum in bello.*
4. Waechter, Carolus Theobaldus: *De modis tollendi pacta inter gentes*

1785

1. Krausler, Christoph Friderich: *Ueber das Kucken, dessen vermittelst des Barometers und Stenometers.*

1792.

1. Pflüger, Benjamin Fridericus: De privilegio privilegiata,
quod mutando ad rem comparandam acquiritur

la,



1742

10. Pagina, Prof. Publicus: 1. pagina principalis
quod continet ad rem compositionem sequentem





Pr. 61 num.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
REVOCATIONE ULTIMÆ VOLUNTATIS,

P. 301

1778, 1.

2

QUAM
ACADEMIÆ MILITARIS
STATORE ET PROTECTORE SUMMO
SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO DUCE
AC DOMINO

DOMINO
C A R O L O,

DUCE WURTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE
REL. ERL.

PRÆSIDE
JOHANNE GEORGIO FRIDERICO HEYD,
J. U. D. ET PROF. ACAD. MILIT. P. O.
IN ACADEMIA MILITARI DUCALI
STUTTARDIÆ Die XI. Dec. MDCCLXXXVIII.
PUBLICE DEFENDENT
IN ACADEMIA MILITARI JURIIUM STUDIOSI.

STUTTARDIÆ,
IMPRESSIT COTTA, TYPOGRAPHUS AUL. ET CANCELL.



RESPONDENTES.

Philippus Christianus Fridericus DE NORMANN, Suec. Pomer. Seren.
Dom. Duc. Nobilis a Camera, & Ord. Acad. maj. Eq.

Guilielmus Fridericus Carolus BREGENZER, Alto-Afp. Ord. Acad.
Eq.

Johannes Fridericus SCHMIDLIN, Stuttg. Ord. Acad. Eq.

Carolus Eberhardus WÆCHTER, Stuttg. Ord. Acad. Eq.

Augustus Fridericus BAZ, Ratisbon. Ord. Acad. Eq.

Wendelinus BILFINGER, Stuttgard.

Georgius Fridericus BOIGEOL, Montisbel.


Ludovicus Fridericus Johannes GRUB, Stuttgard.

Carolus Ludovicus REICHENBACH, Stuttgard.



PROOEMIUM.

Inter varii generis argumenta, ex jure civili disputationis loco proponenda, equidem diu perfiti, donec CLEMENTISSIMO DOMINO *Noſtro* DUCI *munificentiffime* placuit, egregium hocce thema, *de revocatione ultimæ voluntatis*, exarandum mihi *gratiffime* demandare. Eo lubentius id officii devotiffime suscepi, quo certius est: inter multos, qui sese nobis in jure offerunt, testaments infirmandi modos, nullum tot dubiis, variisque Jctorum agitari controversiis, nisi ipsam hanc, de qua nobis differendi animus est, ultimæ voluntatis revocationem maxime verbalem. En igitur simul rationem, cur, reliquis testaments infirmandi & revocandi modis veluti per transitum saltim perſpectis, huic plurimum simus immorati, &, perveſtigatis aliquantulum diverſis de ista DDrum ſententiis, eam amplexi, quæ tam legi expreſſæ, quam juris analogiæ maxime conveniens viſa fuit. Quantum vero lucis huic doctrinæ, paucis hiſce obſervationibus, affundere nobis licuerit, B. L., benigne judices, rogamus.



CAP. I.
DE REVOCATIONE ULTIMÆ VOLUNTA-
TIS IN GENERE.

§. I.

De modis infirmandi testamenta generatim.

Corruunt testamenta variis ex causis. Hæ ut bene distinguan-
tur, duo maxime separandi sunt casus: aut scilicet de-
fectus infirmans testamentum tempore conditi testamenti jam
adfuit, aut demum post conditum testamentum existit. Priore
casu, defectus iterum sese exserit intuitu solennium vel interno-
rum vel externorum. Si prius, testamentum 1.) dicitur *nul-
lum*, v. gr. *ob præteritionem filii*, qui est in potestate patris (a)
2.) *rescinditur* facto eorum qui indigno in sanguinem iudicio rite
quidem, sed inique exheredati sunt, per *querelam inofficiosi testa-
menti*; (b) Idem fit 3.) *Bonorum possessione contra tabulas*, qua
agitur de testamento jure civili valido, jure *prætorio* infirmando,
quæ quidem rescindit iudicium testantis, non tamen ipsum testa-
mentum, adeoque ex testamento esse dicitur, etsi repugnet scri-
pturæ. (c) Sin posterius, *non jure factum* seu *injustum* vocatur te-
stamentum. (d) Posteriore casu ultima voluntas corrui, vel ex
persona testatoris, vel ex persona hæredis. Illo casu 1.) *irritum*
fit testamentum quoties ipsi testatori aliquid contingit, v. gr. si
capi-

(a) l. 1. D. de *injust. rupt. irr.* I. de *exhered. lib.*

(b) l. 1. l. 2. l. 3. l. 8. §. pen. D. de *inoff. test. pr.* & §. 1. I. eodem.

(c) §. 3. I. de *bonor. poss.* l. 1. I. D.

de *legat. præst.* l. 1. pr. l. 8. §. 2. D. de *bonor. possess. contr. tab.* §. 3. I.

de *exhered. lib.* §. 12. I. de *hæred. quæ ab intest.*

(d) d. l. 1. D. de *injust. rupt. irr.*



capite minutus sit, (e) vel conscientia criminis, mortem sibi consciverit, (f) vel cujus memoria post mortem fuerit damnata veluti ex Majestatis vel alia tali causa. (g) 2.) *rumpitur* testamentum a.) *mutatis consulto tabulis: rescissione*, si testator tabulas incidit, rupit, fregit; *resignatione*, quando signa amovit sive turbavit; atque *deletionem* (h): idemque b.) *integris tabulis* accidit per *posterius testamentum rite perfectum*, (i) atque per *revocationem* voluntatis coram tribus ad minimum *testibus* vel apud acta factam. (k) Hoc casu testamentum pariter *rumpi* dicitur per agnationem sui heredis tam veram (l) quam fictam (m); *in irritum* vero *constitui* (n), seu *desitui*, non adita hæreditate. (o) Nobis vero cum sola mutatio ultimæ voluntatis sit scopo, missis reliquis testamenta infirmandi modis, istam accuratius dispicere aggredimur.

§. II.

Idea revocationis ultimarum voluntatum.

Revocatio ultima voluntatis duplici inprimis sensu, latiore scilicet aut strictiore potest intelligi. Illo sensu accipitur pro qualicunque ultimam voluntatem mutandi ratione, adeoque pro actu, quo quis id, quod post mortem suam fieri voluit, amplius non

A 3 velle

(e) l. 6. §. 5. seq. D. eod. §. 4. l. *quil. mod. testam. infirm.*

(f) d. l. 6. §. 7. D. eod.

(g) d. l. 6. §. 11. eod.

(h) l. 30. C. *de testam.*

(i) l. 1. D. *de injust. rupt. irr.* §. 2. & 7. l. *quil. mod. testam. infirm.*

(k) arg. l. 27. C. *de testam.*

(l) l. 1. l. 3. §. 1. D. *de injust.*

rupt. irr. §. 1. I. *de exhered. lib.* l. 3. C. *de posth. her. instit.*

(m) §. 1. l. *quib. mod. testam. infirm.*

(n) d. l. 1. D. *de injust. rupt. irr.*

(o) l. f. in f. D. *de condit. instit.* §. 7. l. *de hered. quæ ab intest.* Dicitur quæ *desertum* hoc casu testamentum, in §. 8. l. *de hered. quæ ab intest. des.*



velle declarat; hoc vero sensu, pro *verbali declaratione de priorē voluntate successoria mutanda legitime facta.*

§. III.

De revocabilitate ultimæ voluntatis in genere.

Hac notione præsupposita & antequam ad ipsos ultimam voluntatem revocandi modos deveniamus, media quasi viâ intercedit duplex quæstio; *an scilicet, & quatenus ultima hominis voluntas, ex ipso Legum tenore, (per se enim hominum consilia non esse perpetua, omni ævo testatissimum est,) sit revocabilis?* Ad primam quidem quæstionem ipsæ Leges civiles satis apprime respondent: *ambulatoriam esse voluntatem defuncti usque ad vitæ supremum exitum. (p) Nemo quoque eam sibi potest legem dicere, ut a priorē ei recedere non liceat; (q) adeo, ut jure civili vix liberum alicui sit huic facultati pro suo arbitrio renunciare; cum nemo possit in testamento suo cavere, ne leges in suo testamento locum habeant. (r) Hisce cum regulis amice consentiunt Leges Germaniæ particulares, quarum nonnullæ tritum illud totidem verbis repetunt; quod voluntas hominis sit ambulatoria usque ad vitæ supremum exitum; (s) Aliæ nude hoc asserunt, veluti *Jus Provinciale Würtemb. (t);* aliæ aliis verbis idem expriment.*

(p) l. 4. D. de adim. vel transf. leg. l. 32. §. 3. D. de donat. int. vir. & ux.


(q) l. 22. pr. D. de Leg. 3.

(r) l. 55. D. de Leg. 1.

(s) Teste Bernh. Maur. Hoffmanno, in Dis. de revocatione te-

stamentorum ex juris germ. provinciis explicata. §. 4.

(t) Part. III. Tit. XX. pr. ubi ita: „Erstlich ist zu wissen, daß vermög „der Rechten, einem jeden in allweg „frey und zugelassen, seinen aufgerichten letzten Willen jederzeit widerum zu ändern, zu mindern, zu meh-



mun. (u) Quod vero secundam attinet quæstionem, resolvi ea iterum potest in varias quasdam quæstiones singulares, ad quas pro diversitate jurium romanorum & germanorum diversimode erit respondendum.

§. IV.

An clausula derogatoria priori testamento adjecta revocationi obstet, atque in posteriori opus sit clausulæ cassatoria?

Clausula, ut vulgo appellant, *derogatoria* testamento adjicitur vel priori, quando testator v. gr. dicit: nolo aliud testamentum in futurum valere; & hæc in specie vocatur *clausula derogatoria*: vel inseritur testamento posteriori, fere hunc in modum: hoc meum testamentum valere volo, non obstante ullo testamento contrario; hæc in specie vocari solet *Clausula Cassatoria*. Jam vero incidit quæstio: utrum clausula derogatoria posterioris testamenti cujuscunque condendi priori testamento inserta effectum aliquem habeat, nec ne? Ad hanc negative omnino respondemus, vi regulæ supra traditæ, quod scil. nemo eam sibi possit legem dicere, ut a priore ei non liceat recedere. (x) Derogatur

„mehrern, gar oder zum Theil abzuthun und zu wiederrufen, auch
„seiner Gelegenheit nach ohne mündlichs verhindern, ein ander Testament zu machen. Ja wann schon
„einer sich versprochen, versprochen, oder verpflichtet hätte, sein aufgericht Testament nimmermehr zu ändern, soll doch solch es Versprechen
„und Verpflichtung, (wie hoch sie immer geschehen) nicht gelten noch

„verhindern, sondern nichts desto weniger einem jeden sein letzter Will
„biß in sein Ende frey gelassen werden.“

(u) Sic v. gr. *Reform. Francof.* P. IV. Tit. I. §. 9. cautum, ne clausula derogatoria testamento adjiciatur; si addita, irrita censetur.

(x) Ita HERMOGENIANUS in d. l. 22 *pr. D. de Leg. 3.* Similia proponuntur a SCÆVOVA in, l. ult. in *pr.*



gat itaque voluntas posterior priori ipso jure, adeo, ut non opus sit clausula cassatoria testamento posteriori adnectenda; (y) quin nec mentionem fieri oporteat prioris testamenti; (z) Quam sententiam quoque expresse adprobavit Serenissimus Legislator Württembergicus Part. III. *J. P. Würt.* Tit. XX. §. Item, so einer &c. (a) Quo infimul responsum habes ad alteram in rubro Sphi traditam quæstionem: An scilicet posteriori testamento clausula cassatoria adjicienda sit? Id vero vix monendum puto, de ipsa posteriore voluntate in facto constare satis oportere.

§. V.

An jusjurandum revocationem ult. volunt. impediatur?

Jurisjurandi religio, si forte testator vel in ipso testamento vel extra testamentum juratò promiserit, se testamentum illud non esse revocaturum, æque minus revocationi ultimæ voluntatis

pr. D. de Leg. 2. ut & a MARCIANO in l. 6. §. 2. D. de Jure Codic. cum monet, non obstante eo, quod paterfamilias in confirmatione codicillorum adjecerit, quod non alias valere velit, quam sua manu signatos & subscriptos, valere nihilominus factos ab eo codicillos, licet neque ab eo signati, neque manu ejus scripti fuerint; quia ea, quæ postea geruntur, prioribus derogant.

(y) Satis hoc expriment modo allegg. LL. maxime l. 6. §. 2. in fin. D. de jure codicil. vid. nota antec. in fin. Nec obstat cit. l. 22. de Leg. 3. quæ regulæ, quod voluntas posterior deroget priori, limitationem subjungit: „si (testator) specialiter dixerit,

prioris voluntatis sibi penituisse. „ Loquitur enim hæc lex de eo casu, quo testator priore voluntate derogavit posteriori; quo casu omnino requiritur clausula derogatoria in voluntate posteriore; alias non posterior sed. præcedens valeret scriptura. vid. l. 12. §. 3. de Leg. 1. cfr. BRUNNEMANN. ad dd. ll.

(z) Ob generalitatem dd. textuum. Generalis quoque est regula: quod posteriori testamento perfecto prius ipso jure rumpatur. vid. infra §. XIV.

(a) Ibi ita: „Ob gleich in dem texten Testament das Vorgehende nicht ausdrücklich widerrufen und aufgehoben. „

tis obest, ac modo dictæ clausulæ derogatoriæ adjectio. Qua in re, præter alios, Celeberr. Juris civilis Commentatori VOETIO (b) in universum subscribere nullus dubito, cujus ipsissima verba huc transcribi Lectori haud fore ingratum duco. „Quodsi, inquit ille, *jusjurandum promissorium appositum sit actui, qui mere dependebat a voluntate jurantis, nec alteri tribuebat de præsentis ultimum jus, ipsum quoque jusjurandum ejusdem conditionis censei debet* (c), ac proinde ad implementum ejus, quod jurejurando contentum, actio non datur, quoties juranti libuit contra suum jusjurandum venire; magisque illud, quod contra sacramentum suum postea gesserit feceritve, ratum firmumque erit, etsi ipse sic contra prius juratum committens, perjurium procul dubio apud Deum incurrat (d). Qua ratione, si testator condito testamento jusjurandum subjecerit de voluntate illa per testamentum posterius non revocanda, vel quis jurato promittat, se datum Titio mandatum, quod sui natura revocabile, non retractaturum, & postea novum re ipsa testamentum condat, aut mandatum revocet, testamentum posterius & ipsa mandati revocatio effectum sortiri debent. Cum enim testator aut mandans eo ipso, quo prius testamentum aut mandatum revocavit, in perjurium inciderit, nec nocens esse desinat, aut crimine vacet, etiamsi mandatum prius aut testamentum, non obstante revocatione, duraret; magis fuit, ut revocatio mandati, ac condita deinceps nova dispositio testamentaria, secundum jus commune firmitatem habeant; regula Juris Canonici, qua jusjurandum servandum erat, quatenus poterat sine animæ detrimento, jam usum aut locum non

B am-

(b) in Commentario ad Pand. Tit. de jurejur. §. 6. it. Tit. de injur. rupt. irr. §. 10. (c) l. 5. §. 1. C. de LL. l. 7. §. 16. D. de Pactis. (d) arg. cap. 22. X. de sponsal. & matrim.

amplius inveniēte (e). *Nec recte dixeris, postea ista sententia invitari jurantes ad delinquendum, ad perjurium, quippe non mutatur voluntatem cum scelere perjurii, si posteriorem voluntatem scirent non ratam fore. Aliud enim est, ad delinquendum invitari, aliud arrepta legum dispositione, & quasi per occasionem legum ad delinquendum procedere; posterius fit, si quis contra iurjurandum voluntatem revocet; prius non item.* Dum liberam leges puberi patrifamilias civi romano dant testandi facultatem de rebus suis, si quis adolescens in vitia pronus proximiores, fidos monitores, ad mentem meliorem indies instigantes, & ob id odio habitos silentio prætereat in suo testamento, peregrinos, luxuriæ & nequitiarum auctores, adjuutores, socios, heredes instituat, eum in gratitudinis & æquitatis leges incurrere & perperam agere, nemo negaverit, eum libertate testandi per leges data abuti, quisque fatebitur; at leges ipsas ad hanc ingratitude & iniquitatem invitaſſe, verum non est., Hæc sunt verba VOËTII, quæ, quidquid in contrarium sentiant aliqui (f), communem ac veriorem theſin continent, quam expresse confirmant jura Germaniæ particularia (g), figillatim quoque Jus Prov. Württembergicum (h).

§. VI.

(e) ex plurium practitorum ibi allegatorum testimonio.

(f) vid. BODINVS, Diff. de testamentis irrevocabilibus. Theſ. VIII. BARDILI, Diff. de revocatione ultimæ volunt. §. 35. 36.

(g) Oesterr. Lands-Brauch. c. 14. Statut. Fryburg. P. V. tract. III. p. 67. Jus Prov. Bavar. Tit. XXXIV. art. 15. Jus Prov. Frisiæ Orient. L. II. c. 198. p. 514. apud WICHT. Ex-

cipe Jus Provinc. Hohenloh. Tit. VIII. §. 1. quo quis, qui iurejurando se ad ultimum elogium servandum adstrinxit, id mutare prohibetur.

(h) d. Tit. XX. pr. ibi: „wann schon einer sich — verpflichtet hätte, sein ausgericht Testament nimmermehr zu ändern, soll doch solche — Verpflichtung, wie hoch sie immer geschehen, nicht gelten“, &c. vid. supra. §. III. not. 2.

§. VI.

*An pactum facultatem revocandi ultimam voluntatem
refringat ?*

Diversa inter se circa hanc quæstionem deprehendimus Jura Romanorum & Germanorum. Istis pacta successoria, ut tristissimi & periculosi eventus plena (i), maxime fuerunt odiosa, ita, ut, solo militum ordine excepto (k), nemini, nisi sub quibusdam limitationibus, talia inire licuerit (l); nec revocationi ultimæ voluntatis pactio ullo modo obstaret (m). Hi vero jam iis temporibus, quibus testamenta adhuc ignorarunt (n), pacta successoria tolerarunt (o), & adhuc hodie usu servant (p). Ex quo sua sponte putant sequi Legum Interpretes, pactiones omnino facultatem revocandi ultimam voluntatem refringere (q). Sed contra hæc omnia

(i) Rationem hujus reddit HEINNEC-
crvus in *Elem. Jur. Germ.* Lib. II. §. 146.
not. quando ita: „Apud Romanos,
divitiarum cupidos, in pejus ruentibus
præseis moribus, nemo dives vitam
sine periculo agebat, cujus heres
esset notus. Illius enim mortem
captabat heres, illi struebat infidias,
illum quamprimum malo veneno vel
aliis diris modis interimere studebat,
ut haberet hereditatem, quam expectare
nimis lentum negotium videbatur.“

(k) l. 19. C. de Pactis.

(l) l. ult. C. eod. Cfr. HELLFELD. *Jurispru-
d. forens. sec. ord. Pand.* Ed.
IVta. §. 1663.

(m) l. 15. C. eod.

(n) Germani enim nihil tale, quod
olim Romani, metuebant; quin po-

tius honori & voluptati sibi ducerent
numerofam & senectute perspicuam
habere familiam; teste TACITO de
morib. Germ. C. XX. ibi: „Quanto
plus propinquorum, quo major adfini-
um numerus, tanto gratiosior senectus,
nec ulla orbitatis pretia.“

(o) *Lex Salica.* Tit. 49. *Ripuariorum.*
Tit. 48. *Anglor. & Werinorum.* Tit.
13. aliæque istius ævi. Cfr. quoque
Perill. de SELCHOV. Elem. Jur. germ.
§. 623.

(p) Cfr. HELLFELD. d. l. §. 1664.
& ibi nota 3. allegg. scriptores.

(q) v. gr. LEYSERVS in *Meditat.*
ad *Pand. Spec.* XLIII. medit. 6. it.
*Spec. CCCLIX. med. 8. seq. BRVNNE-
MANNVS* ad l. 22. D. de *Leg. 3. num. 9.*
aliique.

omnia Leges aliquot Germaniæ provinciales & statutiariæ nulli testatori pacto, conditione vel clausula testamenti revocandi facultatem sibi adimere permittunt (r).

§. VII.

An testamentum reciprocum revocari possit?

Proxima anteriori quæstioni hæc est: *an testamentum reciprocum possit revocari?* De jure civili, si pacti successorii instar testamentum reciprocum habueris, post ea, quæ de pactorum successoriorum apud Romanos valore, modo ante diximus, inanis est hæc quæstio. Sed nec patrium jus in utramque disputationibus, quin diversis adeo legibus, in hac re caret. Sic v. gr. testamenta conjugum reciproca unius dissensu revocari non posse, quorundam est opinio. Eo ipso enim, dum ambo, ajunt, conjuges simul testantur, satis declarant, quod facultate mutandi singuli sese abdicent; Deinde considerandum esse, quod unum testamentum, velut conditionem alterum respiciat, sensumque hunc esse: *tu ex meo testamento eris heres, si tuum in eodem statu reliqueris*; talia enim testamenta mutuuum conjugum concernere favorem, alterumque hoc modo testaturum non fuisse, nisi alter sibi quoque gratum testamentum condidisset (r). Alii aliter sentiunt, atque conjugibus, qui reciproca testamenta condunt, hanc

(r) veluti: *Jus Prov. Bavar. d. sum.* *Jus Prov. Francon. Tit. 56. Tit. XXXIV. art. 15. ibi: und sollen einiche Clausul. geding, pact oder eyd nicht gültig seyn, das jemand hierdurch sich zu einen Testament nicht zu widerrufen verbinden wolt,* (quod tamen in *Codic. Maximil. omni-*

Jus Prov. Francon. Tit. 56. §. 2. Statut. Suevofurt. tit. 39. §. 1. Reformat. Nor. tit. 29. L. 12. Statut. Hamburg. P. III. Tit. I. art. 37. Jus Prov. Würt. d. I. vid. supra §. III. not. t.) (s) vid. BODINVS d. I. §. 10. seqq.

hanc utilissimam cautionem præscribunt, ut invicem sibi stipulentur, se omnia in testamentis suis contenta irrevocabiliter servaturos; nec tacite hanc clausulam putant subintelligi, quia regulariter utrique liberum sit, dispositionem suam, ignorante etiam vel invita altera parte, mutare (t); immo potius pactum tale, quo facultati revocandi renunciatur, dilucide esse adjiciendum; dubia quippe verba ad id non sufficere rati, quum renunciatio nunquam præsumatur (u); & hæc posterior sententia vero esse videtur similior. Jus scriptum Germanicum hac in re sibi non constat. Nonnulla enim statuta alterius conjugis revocationem, infcio altero, fieri vetant; alia alterutri de suis bonis hoc casu libere prospicere permittunt (x). Speciatim *Jure Prov. Würt.* testamenta conjugum reciproca ab alterutro conjuge, infcio altero, atque in ipsius præjudicium revocari vetantur: nisi hæc mutatio fiat ex justa ad exhæredandum causa, in testamento expressa & ab hærede scripto probata, quo casu nec certioratione opus est. Nam si clam vel sine justa causa fiat talis revocatio, conjux revocans omne id, quod ultra legitimam ipsi in testamento ejusmodi reciproco relictum fuit, pœnæ nomine amittit (xx). Præterea, quod hic de conjugum testamentis reciprocis dictum fuit, de aliarum quoque personarum similibus valet testamentis (y).

§. VIII.

(t) STRYCK. in Cautel. testamen- §. 8. Statut. Luneburg. P. IV. Tit. I.
torum, C. 14. §. 23. & SCHILTERVS MEVII Entwurf des Mecklenb. Land-
in Praxi jur. rom. Exerc. ad Pand. Rechts. P. II. Tit. XX. Cfr. HOFF-
39. §. 58. LEYS. d. Spec. XLIII. MANN. d. l. §. ult. in fin.
med. 7. (xx) vid. Jus Prov. Würt. P. III.
(u) Idem, d. Spec. CCCLIX. med. 9. T. VII. §. Als uns auch &c.
(x) vid. Jus Bavar. d. Tit. XXXIV. (y) Cfr. J. P. W. eod. Tit. §. Was
art. 12. Reform. Francof. P. IV. Tit. I. nun &c.



§. VIII.

Quid juris, si plures una tabula testamentum condiderint?

Hæc quidem ita, si a conjugibus aliisque personis testamenta in mutuam invicem commodum, adjecta inprimis utrinque clausula de non revocando, fuerint confecta. Aliter vero sese res habet, si duo vel plures una tabula ultimas suas designaverint voluntates, sive conjuges, sive alii; sive quisque separatim de sua substantia, sive uterque simul de massa communi patrimonii communicati disposuerit. Hoc etenim casu, quoniam totidem videntur condita testamenta, quot testatæ sunt personæ, & neutri in dispositione alterius jus competit quæsitum: sine dubio cuilibet testantium libera est suam revocandi voluntatem facultas (yy).

§. IX.

Quis ultimam voluntatem revocare possit?

Quod subiectum attinet revocans ultimam voluntatem, vix est, quod communem huc repetam juris regulam: *Cui competit potestas ultimam voluntatem ordinandi, eidem quoque facultatem revocandi istam competere* (z). Quis vero ea facultate gaudeat, *Tot. Tit. Dig. Qui testamenta facere possunt*, satis edocet.

§. X.

(yy) Conf. VOET. Tit. de injust. rupt. irrit. §. II. BARDILL d. I. revocat. testam. Thef. V. BARDILL §. 28. seq.
(z) Cfr. ZAVNSCHLIFFER. Diss. de l. cit. §. 57.

§. X.

*Qualis ultima voluntas revocationi
obnoxia?*

Revocationi generatim subest qualiscunque ultima voluntas, non solum in specie testamentum, five sit *Publicum*, five *Privatum*, *Scriptum* vel *Nuncupativum*, *Solenne* vel *Minus solenne*, *Primum*, *Secundum*, vel *Ulterius (a)*; sed & *Codicillus (b)*, *Legatum* & *Fideicommissum (c)*, *Donatio mortis causa (d)*, *Paetum successorium mixtum (e)*, quatenus scilicet de natura ultimorum

(a) Nam Regula generalis est: *ambulatoriam esse voluntatem defuncti usque ad supremum vitae habitum.* donat. §. 1. I. de Donat. Jus Prov. Würt. P. II. Tit. XIX. §. ult.

(b) Plures enim quis facere potest codicillos, per l. 6. §. I. D. de Jure Cod. qui quatenus sibi invicem sunt contrarii, posteriores prioribus derogant. l. 6. §. 2. eod. J. P. W. P. III. Tit. 26. pag. 422. ibi: „Und mag einer so viel Codicill machen, als ihme geliebig, welche alle, so fern sie einander nicht zuwider laufen, gehalten werden, oder, da sie einander zuwieder, allein der letzte kräftig seyn solle.“

(c) l. 17. C. de Legatis. pr. I. de adm. legator. arg. l. 1. D. de Leg. 1. l. 2. C. commun. de legat. §. 3. I. de Legat. Jus Prov. Würt. P. III. T. XXIV. §. fin.

(d) l. 16. l. 30. D. de mort. caus.

donat. §. 1. I. de Donat. Jus Prov. Würt. P. II. Tit. XIX. §. ult.

(e) vid. CARPZOV. Jurisprud. forens. P. II. C. 35. def. 20. n. 7. Vulgo scil. DD. *Paeta successoria* distinguunt in *simplicia* & *mixta*; illa per modum contractus ita dicunt iniri, ut statim jus succedendi tribuant irrevocabile: hæc ita, ut hereditatem instar ultimæ voluntatis alicui deferant. vid. HELDFELD. d. l. §. 1246. LAVTERB. in Coll. theor. præct. ff. Tit. de pact. dot. §. 3. 4. Quæ quidem distinctio, quamvis nec juri romano, nec germanico conveniat, in praxi tamen recepta est; & pæta successoria mixta ad exemplum donationum mortis causa revocationi subiecta esse videntur. Cfr. Perill. PÜRTER. in Elem. jur. germ. priv. Gött. 1776. §. 288. p. 103; seq. Cfr. LEYSER. Spec. 308. med. 1. STRYCK. Caut. Contract. P. III. C. 2. §. 13. seqq.

marum voluntatum aliquid participat, veluti *Pañum dotale* vel *simile* (f).

§. XI.

*De modis revocandi ultimam voluntatem
in genere.*

Si modum revocandi ultimam voluntatem in genere spectaveris, vix apte huc applicaveris notum illud VLPIANI dictum in l. 35. D. de R. J. quod ita habet: „*Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est: ideo verborum obligatio verbis tollitur, nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur.*„ Nam a pactis infirmandis ad infirmationem aut revocationem testamentorum argumentum non fatis recte petitur (g), quin, etiamsi regulam istam, quæ tantum pertinet ad contractus, ad testamenta porrigere velimus, illud tantum consequemur, ut, si quis aliud facere velit testamentum, id æque jure sit perficiendum, vel ut, si quis malit intestatus decedere, revocatum testamentum ipso quidem jure valeat, sed ope exceptionis irritum fiat, non secus ac stipulatio nudo pacto tollitur non ipso jure, sed exceptionis beneficio (h). Argumentum quoque in contrarium præbet l. 27. C. de testam. quæ testamentum scriptum verbis ore prolatis coram testibus vel apud acta permittit revocare. Interim non pauca adsunt Germaniæ statuta, quæ generatim dicta VLPIANI

NI

(f) vid. BARDILI, d. l. §. 70. in fin. LAVTERBACH. in Colleg. theor. pract. Tit. de pactis dotal. §. ult. HELFFELD. d. l. §. 1247.

(g) Cfr. VOETIVS d. l. Tit. de pactis dotal. §. 60.

(h) vid. MARCKARTVS interpretationum receptar. jur. civ. Lib. II. C. I. §. 4.

NI regula nituntur (i); quod omnino non aliter intelligendum, quam quod in testamentis infirmendis passim eadem solemnnia observari debeant externa, quæ in condendis iisdem obtinere (k). Quomocunque vero hæc sint, testamenta tamen ut plurimum non eodem modo, iisdemque solemnitatibus, quibus conduntur, revocari, ipsis variis, quæ utroque jure & romano (l) & germanico (m) receptæ sunt, testamenta revocandi Methodis (n), a posteriori quoque satis edocemur. Variæ profus exinde modorum, quos usus fert hodiernus, testamenta retractandi, nascuntur distinctiones, in Spho proxime seq. expositæ.

§. XII.

Distinctiones revocationum ultimæ voluntatis.

Primum ultima voluntas quoad objectum retractatur, quando revocatur aut *testamentum in specie*, aut *alia quedam ultima voluntas*, veluti *Codicillus*, *Legatum*, *Fideicommissum*, *Donatio mortis causa*, vel similib. Quælibet harum revocationum quomodo fiat, paullo infra latius explicandum erit. *Secundo* deinde quoad ipsum revocandi modum alia revocatio est *verbalis* seu

(i) *Reform. Wormat.* Lib. IV. P. III. *durch andere ordentliche Weise.* Ita Tit. VII. *Jus Provinc. Palat. Super.* notat HOFFMANN. d. l. §. VII. nota. Tit. XVI. Eadem habet: *Jus Prov. it.* §. IV. nota. *Palat. Rhen.* Tit. XVI. *Statut. Dinkelsbühl.* Tit. IV. §. 19. *Reform. Nor.* Tit. XXIX. L. 12. *Statut. Hamburg.* P. III. Tit. I. Art. 37.

(l) vid. Tit. D. *De injusto, rupto, irr. & De his, quæ in testam. del. induc. vel inscrib.*

(k) hoc est: *vor Gericht, Stadtschreiber und Gezeugen und sonst*

(m) teste HOFFMANNO. d. l. §. 8.

(n) vide supra §. I.

seu *expressa*, quæ fit verbis expressis, adhibita insuper forma legibus præscripta (o); alia *realis* seu *tacita*, quæ fit ipsis rebus & factis, nec non per testamentum posterius (p). *Tertio* ratione extensionis ultima voluntas aut quoad partem aut tota revocatur (r), atque hinc revocatio in *partialem* & *totalem* distingui solet (s). *Quarto* denique sequitur divisio revocationis ultimæ voluntatis ab effectu desumpta in eam, quæ fit *Ipso jure*, & eam, quæ fit *ope exceptionis*; quæ tamen distinctio solum ad legata pertinet (t).

CAP. II.

(o) l. 27. C. de testam. Perperam hæc a quibusdam subdividitur in *simplicem*, qua nulla causa revocationis adjicitur, & *causatam*, qua ista adjicitur. vid. VINNIVS in Comment. Infit. Tit. *Quib. mod. testam. infirm.* §. 7. nr. 3.

(p) vid. WESTENBERGII Principia juris sec. ord. Dig. Tit. *de injust. rupt. irr.* §. 11. Eam, quæ fit aliud condendo testamentum, quidam appellant *qualificatam* revocationem; huic oppositam verò, *nudam*. Ut taceam divisionem, qua revocatio ult. vol. quoad formam in *perfectam* & *imperfectam* dispescitur, (arg. §. 2. l. *Quib. mod. testam. infirm.*) quia imperfecta revocatio vix nomen hocce meretur, licet non omni sem-

per destituatur effectu. vid. infra nota s). BARDILI d. l. §. 5. in fin. Sunt etiam, qui revocationem distinguunt in *veram* & *præsumtam*, (vid. HELLFELD. d. l. §. 1426. & 1432.) quæ tamen distinctio, quatenus legibus & juri nostro conveniat, heic non disquiro; olim tamen præsumtam quodammodo obtinuisse clarum est, ex l. 6. *Cod. Theod. de testamentis*. paullo inferius occurrente.

(r) vid. *Sf. P. Würt.* d. T. XX. pr. ibi: „gar oder zum Theil abzu-
thun und zu widerrufen.“

(s) vid. BARDILI. d. §. num. II.

(t) vid. infra §. XXX.

CAP. II.

DE MODIS IPSIS REVOCANDI VLTIMAS VOLVNTATES.

§. XIII.

De revocatione testamentorum reali.

Si quem prioris voluntatis pœniteat, malitque nunc intestatus decedere, vel saltim ex parte istam mutare, parata ei est expeditissima ratio: tabulas nimirum deleat, inducat, inscribat, incidat, signa avellat, tabulas corrumpat (u), vel simile quid faciat (x). Eandem enim heic facta vim habent, quam verba; licet hæc multo clarius exprimant voluntatem, quam facta quælibet (y); Atque sic facili negotio testator voluntatem mutat *rebus ipsis & factis*, atque testamentum in totum vel pro parte infirmit. Hoc autem demum ita procedit, si testator, cum v. gr. incidit tabulas, sanæ mentis fuerit (z), & deletio vel inductio consulto facta sit (a); Si inconsulto sit facta, sive ab ipso

(u) l. ult. D. de injust. rupt. irr. del. Gell. Noct. Att. L. XX. c. 5. add. l. 1. pr. §. 1. & seqq. l. 2. D. de his, quæ in testam. del. l. 22. §. 3. D. qui testam. fac. poss. l. 1. §. pen. l. pen. §. f. D. de bon. poss. sec. tab. l. 1. §. 8. D. si tab. test. null. extab. l. 30. C. de testam. Deleri autem hoc loco dicuntur, quæ lituris corrumpuntur; l. 1. §. 1. D. de his, quæ in test. del. Induci seu Cancellari & quæ perducuntur, l. 1. pr. infin. l. 2. pr. D. eod. l. 22. C. de Solut. Cfr. LAUTERBACH. in Diss. de Cancellatione. §. 1. seqq. Inscribi vero, quæ superscribuntur, l. 1. §. 1. D. de his, quæ in test.

(x) Testamentum enim mutatur quoque, vel in totum vel quoad partem, radendo, si scriptura unguibus vel aliis instrumentis dilaniatur vel dilaceratur; vid. STRYKII Disp. de Rapsura. Item tabulas rumpendo, frangendo, dilacerando, comburendo, &c.

(y) Cfr. HYBER. prælect. jur. civil. ad Tit. I. quibus mod. testam. infirm. §. 10.

(z) l. f. D. de injust. rupt. irr.

(a) l. 1. pr. §. 3. D. de his, quæ in test. l. 12. l. 30. C. de testam.

ipſo teſtatore, five ab alio, dummodo quæ deleta vel inducta ſunt legi poſſunt, non nocet (b). Si legi non poſſint & ante conſummationem teſtamenti deletio vel inductio inconſulto facta ſit, non debentur (c), etiamſi aliunde probari poſſint (d); ſin vero poſt conſummationem teſtamenti deletio vel inductio inconſulto facta ſit, & aliunde probari poſſint deleta, debentur (e). Sed ſi in Codicillis aliquid deletum ſit, licet legi poſſit, non debetur (f). Si teſtator unius ex heredibus nomen induxerit, reliqua pars teſtamenti valet & ipſi ſoli denegantur actiones. Idem dicendum, licet omnia nomina induxerit, ſi adſcripſit, idcirco ſe id feciſſe, quia unum heredem offenſum habuit; Niſi probari poſſit, teſtatore ob unius malum meritum totum teſtamentum ruptum voluiſſe (g). Quodſi plures ſint tabulæ eodem exemplo ſcriptæ ſeu codices, uno incifo vel deleto teſtamentum non conſtituetur irritum: niſi probetur, teſtatore id eo conſilio feciſſe, ut inteſtatus moreretur (h). Hiſce cum principiis juris romani pleraque Germaniæ ſtatuta, maxime quoque *Jus Prov. Württembergicum* (i) exacte conveniunt (k). An autem conſulto, an inconſulto ac præter voluntatem teſtatoris, deletio, incifio, ſimiliaque contigerint, non juris, ſed facti quæſtio eſt: in qua, deficientibus aliis probationibus, ad indicia recurrendum, quæ fere talia ſunt, ut, ſi de facto ipſius teſta-

(b) l. 1. pr. D. de his quæ in teſt. del.

(c) l. 1. §. 2. D. eod.

(d) l. 1. pr. D. eod.

(e) l. 1. §. 3. D. eod.

(f) l. 1. §. ult. D. eod.

(g) l. 2. D. eod.

(h) l. ult. D. eod. cfr. WESTENB. ad h. t. tot.

(i) d. Tit. 20. §. *Also da einer Er. pr. verbiſ: „da einer --- verfolgt werden.“*

(k) teſte HOFFMANNŒ, d. l. §. 13.

testatoris confet, consulto tabularum incisio vel inductio s. cancellatio facta credatur, donec contrarium probatum fuerit (l); si de facto testatoris haud quidem liqueat, sed testamentum tamen scriptum domi testatoris & in arca conclusum, reperitur deletum aut incisum, etiam tunc ex voluntate testatoris id factum praesumatur; si vero penes tertium, inconsulto (m); qui tamen contrarium hujus posterioris casus asserit, *Jure Würtemb.* intra duos menses illud probare tenetur, quo non probato testamentum subsistit (n).

§. XIV.

Rumpitur testamentum prius per posterius perfectum.

Rumpitur quoque testamentum prius per posterius rite perfectum (o); adeo, ut, licet prius nominatim non revocetur (p), tamen per posterius perfectum *ipso jure* tollatur, tam jure romano (q) quam germanico (r); nisi miles pluries testatus sit (s).

Quod-

(l) Sic etenim pluribus LL. asseritur, a testatore deleta haud valere; lino per testatorem incisio, signis turbatis, testamentum non videri signatum. l. 22. §. 3. *qui testam. fac. poss.* l. pen. in med. C. de testam. l. 1. §. pen. D. de bon. poss. sec. tab. l. ult. in fin. D. de his, quae in testam. del.

(m) Cfr. VOETIUS ad tit. de his, quae in test. del. §. ult.

(n) vid. *J. P. Würt. d. Tit. & Spho* in med. verbis: „*Wann aber eingeraumt werden.*“

(o) l. 1. 1. 2. D. de injust. rupt. irr. §. 2. & 7. I. quib. mod. testam. infirm. l. 27. C. de testam.

(p) vid. supra §. IV. in fin.

(q) d. l. 27. C. de testam.

(r) *Oesterr. Lands-Brauch C.I. Ord. Prov. Morav. fol. 168. Jus Prov. Hohenloh. Tit. VIII. §. 7. J. P. Würt. d. Tit. 20. §. Item, so einer &c. pr.*

(s) *Militi enim licet plura testamenta facere, & siue simul ea fecerit, siue separatim, utique valent,*
C 3

Quodsi duo adsint testamenta æque perfecta, neque constet, utrum sit prius, utrum posterius? ex utroque quasi ex uno competit hereditas; quia pro unis tabulis habendum est, & supremum utrumque accipiemus (t). Ceterum prius testamentum rumpitur per posterius perfectum, sive diversi sive ejusdem generis hoc sit, cujus prius fuit. Qua ratione nuncupativum prius posteriori scripto, & scriptum prius posteriori nuncupativo (u); militare vel aliud privilegiatum testamentum per posterius solenne, vel minus solenne (x), atque solenne prius per mi-

fi hoc specialiter expresserit. vid. l. 19. D. de testam. mil. Idem moribus passim hodiernis in paganis quoque obtinere defendit VOETIVS Tit. de injust. rupt. irr. §. 8.

(t) arg. l. 1. §. 6. D. de bon. poss. sec. tab.

(u) Excipe illud, quo Princeps hæres institutus esse dicitur: quia potentiores ex nuncupativo testamento nil capiunt, nec recte heredes instituuntur. per l. 20. C. de testam. Quod ita constitutum, ut hominum occurratur fallaciis; nam in gratiam Principis non desissent, qui falso adfirmarent, audivisse se testatorem dicentem, velle Principem sibi hæredem esse. vid. Perez. in prælect. ad Cod. Tit. de testam. §. 16. It. BRVNEMANN. ad l. 16. & 20. ejusd. tit.

(x) Quamvis enim permultis antiquioribus legum interpretibus placuerit, testamentum v. gr. privilegiatum parentis inter liberos non infirmari. nisi per testamentum solenne posterius, sive scriptum sive nuncupativum, adhibitis 7. testibus pater declaverit, se nolle, ut prius inter

liberos testamentum ratum sit; quasi hoc inter liberos testamentum tacita quadam clausula derogatoria munitum esset, maxime, si posterius inter extraneos conditum appareat, arg. Auth. Hoc inter &c. C. de testam. BARDILI, d. l. §. 61. Verius tamen videtur, testamentum patria inter liberos hac in parte non esse privilegiatum, sed exemplo reliquorum testamentorum infirmari testamento posteriori, utcumque non continente expressam prioris revocationem; non obstante d. Auth. & Nov. 107. c. 2. quæ quippe, nisi jus singulare statuas, vix aliter intelligendæ sunt, ac de casu, quo pater non tantum inter liberos, sed & simul inter extraneos vult testari; Nequaquam vero pater inter solos liberos testaturus hæc LL. vetatur, alia scriptura privata seu holographo, sine ullis testibus aliam ac a priore diversam facere inter liberos suos dispositionem. conf. VOETIVS d. l. §. 3. LAUTERB. Coll. theor. præct. Tit. de testam. mil. §. 36. BARDILI, d. l. §. 61.

militem, aliudve privilegiatum posterius infirmatur (y): quia testamentum nuncupativum æque ac scriptum (z), & privilegiatum æque ex jure singulari, ac solenne ex jure communi perfectum est (a). Idem dicendum, si testamentum posterius conditum plures aut pauciores ex illius loci lege solennitates habeat, quam quibus prius munitum erat (b). Porro testamentum posterius perfectum rumpit prius, sive heres ex posteriori testamento, aut conditio in futurum adjecta, extiterit, sive non (c); Aditio enim hereditatis ad substantiam vel perfectionem testamenti non pertinet: dummodo ex posteriori testamento heres, vel conditio adjecta, existere potuerit (d). Idem denique tenendum, licet in posteriori testamento heres ex re certa fuerit institutus (e), nisi forte testator in posteriori testa-

(y) Exemplum videbis in *J. P. W.* d. §. Item so einer &c. ibi ita: „Inmassen auch, wann in dem ersten Testament solche Personen, die nicht des Testirers Erben ab intestato, eingesetzt, in dem letzten aber des Testirers Kinder, oder sonst seine nächste und außerhalb testamentlicher Verordnung ihm succedirende Erben beruffen wären, das Erste vollkommen und kräftig Testament durch das Letzt ausgehebt: da gleich dasselb zwischen den Kindern allein vor zwey Zeugen --- ausgerichtet worden.“

(z) §. ult. I. de testam. ord. l. 21. §. 2. C. eod. Nov. 107. c. 2.

(a) l. 2. D. de injust. rupt. irr. l. 36. §. f. D. de testam. mil.

(b) vid. *J. P. W.* d. §. Item so einer &c. ibi ita: „da gleich das Erste

vor 7. oder mehr Zeugen, das Andern aber allein nach den Formen dieses unferes Land-Rechtens vor weniger Zeugen aufgerichtet und verordnet wäre.“, add. VOET. l. c.

(c) §. 2. I. quib. mod. test. inf. l. 16. D. de injust. rupt. irr.

(d) dd. ll. add. l. 1. D. eod. Nam si posteriores tabulae vacuae sint, i. e. nihil scriptum habeant, prioribus stabitur, l. 11. D. eodem. ut & si posteriori testamento inserta sit conditio de præterito vel presenti, nec ea existat, d. l. 16. eod. vel posterius ob filii præteritionem nullum sit. l. 16. §. 1. inf. D. de vulg. & pup. subst. l. 7. D. de lib. & posth. her. inst. *J. P. Würt.* d. Tit. §. Item, wann der Testirer. &c. p. 401.

(e) §. 3. I. quib. mod. test. inf.

testamento expresse addat, se velle, ut prius valeat; quo casu ex re certa scriptus heres fideicommissio gravatus videtur (f).

§. XV.

Non per imperfectum; exceptis quibusdam casibus.

Regula modo ante tradita, quod scilicet testamentum rite perfectum posterius infirmet prius; non vero imperfectum (h), adeo firma est, ut, licet Princeps in posteriori imperfecto fuerit institutus, hoc tamen effectum illud rumpendi habere non debeat (i). Hoc vero non obstante exceptiones aliquot a dicta regula constituerunt gravissimi Legumlatores; & quidem primo in *Milite* (k), cujus olim tantus & in hac re fuit favor, ut omnes solemnitates, & quæcunque, quæ subtilitatem magis, quam naturalem rationem habent, ipsi remissa fuerint (l); Secundo in *testamento parentum inter liberos*, quorum favor facit, ut qualiscunque parentis dispositio, quibuscunque verbis declarata, valeat, extraneus autem ipsis tali voluntate admixtus, nihil inde capiat (m). Pariter tertio prius testamentum infirmari per posterius, licet imperfectum sanciverunt IMPER. THEODOSIUS & VA-

(f) d. §. 3. add. l. 29. D. ad SCtum Trebell.

(h) l. 18. ff. de Leg. 3. §. 7. I. quibus mod. test. inf. Ceterum heic sub testamento imperfecto, nullum æque ac injustum intelligi debere, docuit SCHOTT. in Opusc. n. II.

(i) §. 8. I. eod.

(k) l. 2. D. de injust. rupt. irr. ubi ita: „Tunc autem prius testamentum rumpitur, cum posterius rite perfectum est: NISI forte POSTERIUS — JURE MILITARI SIT FACTUM.”

(l) l. 1. l. 34. §. 2. l. 35. l. 40. D. l. 15. C. pr. 1. de testam. mil.

(m) l. 21. §. 1. & Auth. seq. C. de testam. l. ult. C. fam. ercis.

VALENTINIANVS, si forte in priori testamento scriptis his, qui ab intestato ad testatoris hereditatem vel successionem venire non poterant, in secunda voluntate testator eos scribere instituerit, qui ab intestato ad ejus hereditatem vocantur; in qua voluntate jure civili quinque testes (n), Jure Prov. Württembergico autem quatuor testes sufficiunt (o). Similem fere effectum idem Jus Patrium clausulæ tribuit codicillari: ut scilicet testamentum posterius imperfectum, clausula tamen codicillari munitum, non quidem in vim testamenti rite conditi, sed tamen voluntatis codicillaris valeat, ita, ut heredibus in ejusmodi testamento imperfecto institutis hereditas ab intestatis heredibus (detracta tamen quarta Trebellianica, vel legitima, si hi fuerint testatoris filii) restitui debeat (p).

§. XVI.

De revocatione testamentorum verbali.

Quod ad revocationem testamentorum expressam verbalem, non una est omnium DD. sententia. Alii ad ductum legis 27. C. de Testamentis &c. in revocando verbaliter testamento præter trium testium vel judicis præsentiam decennii transcursum requirunt; alii decennium rejiciunt; alii denique aliter sentiunt. Horum quælibet secta suam opinionem defendit ex eadem lege 27. idque potissimum ope legis 6. Cod. Theodos. de testa-

(n) d. l. 21. §. 3. C. de testam. add.
l. 2. D. de injus. rupt. irr.

(o) Jf. P. W. d. Tit. §. Item, so ein-
ner &c. in fin.

(p) Jf. P. W. d. Tit. §. Wieroch
nun &c. p. 402.

testamenti & codicillis. Quænam vero sententia alteri sit præferenda, ut in promptu habeas ad dispiciendum, utriusque legis verba heic recensere haud superfedeo. *Lex 6.* ita habet:

Imp. Honor. & Theod. AA. Palladio

P. F. V.

„*Ne quis post diem mortis, scriptis ante decennium testamentis præstetur assensus, nullisque penitus viribus scriptura hujusmodi tempore antiquata taxetur: præsertim, si cum voluntas continuata persisterit, brevis mora sit, recentibus vetustatem innovare temporibus: vix enim fieri potest, ut per hæc tempora, quæ fidei amore contraximus, omnem testium conscientiam mors conjurata surripiat: Et revera nefas est, ut antiquæ deliberationis ordinatio voluntas postrema dicatur.*”
Dat. X. Kal. Jul. Rav. DD. NN. HONORIO XII. & THEOD. VIII. AA. COSS.

Sensus hujus legis, præter varias Interpretum, maxime JAC. GOTHOFREDI, circa lectionem istius correctiones, sere hic est: Si quis moriatur, qui decennio, antequam decederet, fecit testamentum, illud nullius amplius esse debere momenti, quasi ipso tempore antiquatum: nam præsumendum esse, testatorem mutasse voluntatem, alioquin id facile potuisset renovare & confirmare: vix etiam fieri, ut per decennium omnes testes moriantur, quo minus illa renovatio fiat: nec antiquum testamentum posse pro ultima voluntate haberi (g).

Verba autem *legis 27.* hæc sunt:

(g) CONF. MARCKART. d. I. Cap. 1. §. 5.

Imp.

Imp. Justinianus A. Juliano P. P.

„Sancimus, si quis legitimo modo condidit testamentum & post ejus confessionem decennium proflexerit, si quidem nulla innovatio vel contraria voluntas testatoris apparuerit, hoc esse firmum. Quod enim non mutatur, quare stare prohibetur? Quemadmodum enim qui testamentum fecit, & nihil voluit contrarium, intestatus efficitur? Sin autem in medio tempore contraria testatoris voluntas ostenditur: si quidem perfectissima est secundi testamenti confessio: ipso jure prius tollitur testamentum: sin autem testator tantummodo dixerit, non voluisse prius stare testamentum, vel aliis verbis utendo contrariam aperuerit voluntatem, & hoc vel per testes idoneos non minus tribus, vel inter acta manifestaverit, & decennium fuerit emensum: tunc irritum est testamentum, tam ex contraria voluntate, quam ex cursu temporali. Aliter etenim testamenta mortuorum per decennii transcursum evanescere nullo patimur modo: prioribus constitutionibus, quæ super hujusmodi testamentis evacuandis latæ fuerant, penitus antiquandis. Dat. XIV. Cal April. Constantinop. Lampadio & Oreste VV. CC. COSS. 350.

Huicce legi cum pro diversitate sententiarum diversa tribuatur mens: quænam intentioni auctoris magis sit conformis, singulis demum sententiis perspectis, clarius apparebit.

§. XVII.

Communis DD. opinio.

Revocationem testamenti verbalem (r), licet vel coram septem testibus, vel apud acta factam, ad infirmandum illud non sufficere, sed adhuc decennii transcursum (s) requiri (t), inter plures alios defendunt: HUGO DONELLVS (u), BRVNNE-MANN. (x), PEREZ. (y), VOETIVS (z), COCCEJI (a), WESTENBERG.

(r) Solo excepto militis testamento, qui, sicut hereditatem nuda voluntate dare potest, ita & adimere, quia sola voluntas militis testamenti loco est, per l. 15. §. 1. l. 34. §. ult. D. de testam. mil.

(s) Decennii hujus initium alii computant a tempore inde conditi testamenti, propter verba d. legis 27. „Et post ejus consecutionem decennium profuxerit, item: „in autem medio tempore contraria voluntas &c., deinde quoque propter dispositionem d. l. 6. C. Theod. juxta quam decennium ex tempore testamenti conditi currebat. vid. BARDILI, d. l. §. 17. HANNESEN. Diff. de testamenti accedente decennii lapsu facta revocatione, ex l. 27. C. de testam. §. 7. Jeqq. Alii decennii cursum a tempore revocationis testamenti computandum esse censent, propter verba d. l. 27. „Et decennium fuerit emensum, juxta glossam, ibid. sub lit. e. HEINNECIVS in Elem. jur. civ. sec. ord. Pand. Tom. II. §. 30. Rationi quoque magis convenire hanc sententiam putant aliqui, cum non appareat, cur

revocatio voluntatis sine integro decennio consequente debeat esse validior, quando primum testamentum per decennium stetit, nam ideo testamentum prius esset validius, nisi ante Justinianum post decennium non valuerit amplius documentum; quod corrigere voluit Justinianus. vid. BRVNNE-MANN. ad d. l. 27. n. 10. COTHMANNVS, Vol. I. Conf. 39. n. 241. STRYK in Caut. Testam. Cap. 24. §. 36. Conveniunt cum his: Jus Prov. Bav. & Codex Maximil. Tit. XXXIV. Art. 15. ibi: „Wann nach dieser Widerrufung zehen Jahr verflossen.“

(t) per d. l. 27. C. de testam.

(u) in Comment. ad Cod. dictamque leg.

(x) in Comment. ad Cod. atque l. 23. & 27. eod.

(y) in Comment. ibid.

(z) d. l. Tit. de injust. rupt. irr. test. §. 1.

(a) in jure controv. civ. P. II. pag. 271.

BERG. (b), inprimis quoque BARDILI (c) & CANNEGIETER (d), quorum sententia fere hæc est: Mutavisse quidem Justinianum Constitutionem Honorii, neque in totum probando decennium ab Honorio inventum, neque illud plane rejiciendo, sed mediam quasi viam sectando, eo scilicet, quod præter decennii transcursum, revocationem testamenti coram tribus ad minimum testibus, vel apud acta manifestari, desideraverit. Argumentis ad hoc utuntur his: verba scilicet *legis 27.* „*Et decennium fuerit emensum*“, revocationem coram testibus vel inter acta cum decennio *copulative* ajunt requirere; quæ, si quis inficias iverit, pro non scriptis ea habenda esse; Idemque flagitare verba legis sequentia: „*tunc irritum est testamentum, tam ex contraria voluntate, quam ex cursu temporali*“, nec non finalia: „*Aliter etenim testamenta mortuorum per decennii transcursum evanescere nullo patimur modo*“: quibus quippe in complexu sumtis nullum alium tribui posse sensum discutant, nisi quod Imperator hæc omnia *cumulative* intellexerit. Lapsui tamen temporis, qui olim testamenta infirmabat, per constitutionem Justiniani nullum alium tribuunt effectum, nisi ut impediatur scrupulosam & exactam inquisitionem revocationis, quæ vel ante vel post decem annos a testatore post conditum testamentum facta fuerit (e). Hæcce argumenta quantum valeant, discussis antea contrariis sententiis, judicatu erit facilius.

§. XVIII.

(b) d. l. & tit. §. 18. 19. pr.

(c) d. l. §. 12. seqq.

(d) *Observationum juris romani.*

L. I. Cap. V.

(e) *Ibidem* pag. 22. sq. BARDILI, d. l. §. 15. 16.

§. XVIII.

Sententiæ aliquot, antecedenti derogantes.

Contra ea sunt, qui communem sententiam, modo propositam, decennii forte incommodo laceffiti, variis modis limitant. Decennio quidam statuunt opus non esse, si testator revocationis causam adjecerit, veluti, si intestatus voluerit decedere; quam sententiam nonnulli DDrum pro communi ventilare audent (*f*). Sed cum ipsa lex, cujus auctoritate nituntur, hanc distinctionem non contineat, nec ipsorum est distinguere. Idem respondendum est ad aliam opinionem Jvst. HENN. BOEHMERI (*g*), qui decennii lapsum ad revocationem testamenti modo scripti & solennis restringit; nuncupativum vero solenne simpliciter coram septem testibus, & minus-solenne coram duobus revocari posse, adfirmat (*h*). Nec denique adsentendum esse putem ULRICO HVBERO (*i*) qui practicum dictæ *constitutionis* l. 27. usum eo saltim casu commendatum habet, quo testamenti revocandi propter absentiam forte testatori non est copia; quamvis ipse negare non possit, ex alia quoque causa testatorem moveri posse, quamobrem tabulas istas nollet eodem tempore rescissas (*k*). Præterea nullibi præscriptum est, qua forma præcise homines testamenta revocent, modo juris præcepta servent (*l*).

§. XIX.

- (*f*) conf. BARDIL, d. l. §. 21. *cleatis Quaestionum forensium ex jure romano ac hodierno. Libro singul. Quæst. IV. Cap. II. §. 11. 12.*
- (*g*) in *Introduct. in Jus Dig. tit. de injust. rupt. irr. §. 11.*
- (*h*) Pluribus quoque hanc distinctionem rejiciunt: BARDIL, l. cit. *Quib. mod. test. infirm. §. 7.*
- (*k*) Idem, eod. §. 10.
- (*l*) cf. Zach. HVBER. d. l. §. 10.

§. XIX.

*Coram septem testibus testamentum revocari posse, absque
decennii transcurso, quidam statuunt.*

Revocationem testamenti solenniter editam coram numero testium septenario, absque decennii lapsu, validam esse effectumque habere alius cujuscunque revocationis legibus approbatæ, pluribus defendit uterque HVBÆRVS, ULR. & ZACHARIAS, pater & filius (m); variisque ambo ad hanc tuendam sententiam utuntur rationibus. Primum provocant ad prægnantissimam æquitatem, quæ prohibeat defuncti patrimonium addicere heredibus testamento scriptis, ad quos testator, enixa voluntatis declaratione, solenniter dixerit, bona sua non esse perventura. Hanc quidem cedere fatentur legi contrariæ scriptæ; talem vero existere negant. Negant scilicet obstare *§phum 7. I. Quib. mod. testam. infr.* utpote qui de eo casu, quo quis novum conditurus sit testamentum, non de eo, quo velit simpliciter testamentum revocare vel intestatus decedere, loquatur. Porro non obstare dicunt *l. 27. C. de testam.* ut quæ pariter non definiat quæstionem: Quid juris sit, quando testator solenni functus sit revocationis officio, & mortuus sit intra decennium; sed eam, qua post decennium demum disputetur, an valeat testamentum, an vero tacite antiquatum sit tam longi temporis spatio. Deinde a deletionem, cancellationem & simili modo tacite revocandi testamenta, argumentum trahunt ad solennem revocationem verbalem coram 7. testibus factam; & in primis

(m) II. cit.

primis ZACH. HVBERS hic in medium profert l. 1. §. 8. D. *Si tab. test. null. extab. unde lib.* quæ ita: „*Si heres insitutus non habet voluntatem, vel quia incisæ sunt tabulæ, vel quia cancellatæ, vel quia alia ratione voluntatem testator mutavit, voluitque intestato decedere: dicendum est, ab intestato rem habituros eos, qui bonorum possessionem acceperunt.*„ Ex qua & præcipue verbis: „*quia alia ratione,*„ HVBERS ita argumentatur: Si incisio vel cancellatio eam habent vim, ut ob solam præsumtionem contrariæ voluntatis testamentum ruptum censeatur; cur non æque efficaciter abrogandum illud erit solenni & plenissime declarata revocatione? Nec verba hujus legis ad unum genus mutationis refringenda esse putat, arg. l. 16. *de adim. vel transf. leg.* ubi inducere & adimere legata inter se comparat ICTUS PAVLVS, quando ita: „*Nil interest, inducatur, quod scriptum est, an adimatur.*„ Fieri autem ademtionem legatorum tam expressis verbis, quam factis, omni caret dubio (n). Harum quidem rationum summa, si quid video, id fortassis efficiet, ut revocatio testamenti verbalis sat probata tantum valeat, quantum realis seu tacita; an vero septem vel pauciores ad ipsam requirantur testes, inde nondum satis expeditum esse credo. Utriusque vero HVBERS sententiæ præter plures alios adhuc accedit PÜTTMANNVS (o), nullo tamen alio fundamento innifus, quam regula l. 35. D. *de R. I.* quæ, quantum ponderis huc faciat, & quam finifre hic applicetur, supra (p) jam satis evicimus.

§. XX.

(n) Zach. HVBERS. d. l. §. 2. seqq.
vid. quoque infra §. XXX.

(o) loco supra cit. p. 122, seqq.
(p) §. XI.

§. XX.

Alii alia ratione decennio dicam scribunt.

Alia iterum est eorum sententia, qui decennium ad revocationem testamenti, verbis solennibus, vel alias legitimo modo declaratam, minime necessarium, quin inane & superfluum ducunt. Inter hos est IOH. BAPT. ANDR. LOEHLEIN, in programme, quo probatur: *testamenta sola voluntate contraria, verbis solennibus tamen declarata, factò nullo concurrente, neque lapsu decennii accedente, infirmari. Herbipoli 1754. (q)* Cujus tamen legendi cum mihi non fuerit copia, quoad argumentum saltim allegasse sufficiat. Parum quoque distincte mentem suam de hac re exprimit TITIVS (r), ad locum *Compendii Lauterbachiani, Tit. de injust. Ec. Et de his, quæ in test. del.* qui hic est: „*Verbis, (scilicet fieri revocationem testamentorum) modo tum etiam elabatur decennium.*„ Ad hunc TITIVS ita: „*Immo potius nuda revocatio, legitime saltem, duobus scilicet testibus vel manu testatoris probata, testamentum destruit, id quod uti merito tamdiu præsumitur, donec probetur contrarium, ita ejus vestigium in l. 1. §. 8. unde lib. exstare non immerito existimatur (s), ac Decif. Elector. Saxon. 44. in fin. confirmatum videtur. Non obstat l. 27. C. de testam. fit enim ibi mentio decennii, non quasi ejus lapsus ad mutationem testamenti sit necessarius, sed quo iis, qui solo*

(q) vid. LIPENII biblioth. real. ju- in Compend. Juris Lauterbachianum;
rid. voce: testamentorum infirmatio. Obs. 868.

(r) Observationum ratiocinantium (s) in quo consentit cum Zach.
HVBERO Spho anteced. laudato.

decennii lapsu testamentum everti putabant, sententiæ hujus ineptitudo exprobratur. Sic, si quis dicat, se felicissimum esse futurum, si haberet novos calceos, alius vero, hominis simplicitatem irrisurus, regereret, credo te talem esse futurum, si centum mille imperiales & novos calceos haberes, tum sane nemo existimabit, quasi hic felicitatem tam ex pecunia, quam novis calceis æstimet, cum ex ejus affectu liqueat, quod felicitatis unicam causam putet esse pecuniam, calceorum autem novorum irrisionis saltem causa simul faciat mentionem. Eodem animo decennium in l. 27. C. de testam. adduci, totus contextus satis arguit., Ex his colligendum, nullius usus decennii transcursus videri Titio, nisi forte ut superveniens illud respiciatur; ita, ut revocationem testamenti verbalem coram duobus testibus declaratam, vel a testatore in scriptis editam, sufficere putet. Neutri vero harum sententiarum in totum ego subscribere ausim. Denique mediam fere inter Titii & antecedente Spho propositas sententias, pariter suspectam, tenet SCHAVMBVRG (t), qui ad revocationem verbalem eandem solennitatem, qua testamentum ordinatur, requirit, per accidens tamen, propter d. l. 27. C. de testam. sufficere censet, eam coram tribus testibus factam esse, si lapsus decem annorum accedat.

§. XXI.

Marckarti sententia.

Vtlerius adhuc progreditur MARCKARTVS, *Belgarum Jctus*, (supra jam memoratus) qui communem DD. in hac re sententiam & rectæ rationi, & analogiæ juris civilis, & denique ipsi

(t) in *Compendio Juris Digestor.* Lib. XXVIII. Tit. III. & IV. §. 6.

ipſi menti legiſlatoris adverſari, pluribus adſtruit (u); cujus in enumeranda doctrina, ne tranſmutando verba ea reddatur obſcurior, quantum quidem fieri poterit, ipſius utar verbis. Primum *rectæ rationi* adverſam (v) ille habet communem ſententiam, ex his rationibus: 1) „*Teſtamenti factio*, inquit, *eſt tantum jus, quo patrifamilias permittitur Lege civili, non injungitur, ut faciat neceſſario teſtamentum. Quilibet itaque, ſi velit, mori poteſt inteſtatus. Neque 2) hæc ab inteſtato moriendi facultas adimitur, neque paterfamilias ei renunclaffe dici poteſt, ſi fecit teſtamentum: hujus enim præcipuum eſt requiſitum, voluntas libera & liber ſtylus teſtatoris. Et quia cujuſvis arbitrio eſt relictum, utrum velit teſtamentum ordinare, an malit inteſtatus decedere, ideo 3) poteſt non ſolum mutata voluntate & conſilio aliud teſtamentum ordinare, ſed etiam priori revocato ad aliud faciendum non accedere. 4) Omnis teſtamenti rite conditi vis ex eo pendet, an in voluntate illa teſtator perſiſterit uſque ad mortem. Hinc 5) vox nature & ſanæ rationis eſt, quod ait VLPPIANVS in l. i. §. 8 D. ſi tab. teſt. null. (x). Vix autem evidentior eſt mutatio voluntatis, quam ſi teſtator ſerio coram teſtibus declarat, ſe nolle valere, quod fecit teſtamentum. Nihil eſt, quod magis in ſenſum communem impingat, quam ſi is hæres pronuncietur, quem teſtator habere noluit, & ei hereditas eripiat, cui eam ab inteſtato teſtator relinquere voluit. 7) Si itaque certo conſtat de voluntate mutata, quo, quæſo, velamento excuſabimus opinionem, quæ præterea decennii lapſum*

(u) l. cit. Cap. I. tot.

(v) Hoc auctor ille non vult ita intelligi, ac ſi putet, teſtamenta eſſe juris naturalis: ſed rectæ rationi congruum appellat, quod naturali-

ter conſequitur ex eo, quod jure civili teſtamenti factio fit tantum *permiſſa*. vid. MARCK l. cit. §. 3.

(x) hanc vide ſupra §. XIX. med.

lapsus requirit? quæ opinio minus fit tolerabilis, si illius decennii decursus computetur non a consecutione testamenti, sed a revocatione. Denique 8) uti ad valorem testamenti conditi non requiritur, ut testator intra certum aliquod temporis spatium, aut statim post ordinatum testamentum, diem obeat supremum; ita, ut revocatione tollatur, quod factum est, haud est necesse, revocans per aliquot annos adhuc post factum testamentum, aut post revocationem vivat.,

Hiscæ propositionibus MARCKARTVS indicare voluit, jure civili non solum plane liberam esse testamenti factionem, sed & multo magis facultatem decedendi ab intestato, adeoque & revocandi voluntatem testamentariam. Merito itaque, seriam & probatam hujusmodi declarationem suam habere effectum, etiam sine temporis additamento, sanæ rationi & æquitati naturali congruum existimat. Clarius hoc idem secundo deinde ex *analogia juris civilis* deducere studet. Hanc enim docere ait, præscriptas quidem esse solennitates ad ordinanda testamenta, non vero ad eadem revocanda, si intestatus mori velit is, qui antea testamentum fecerat: sed tantum, ut probatio sit mutatæ voluntatis, requiri. Amplius docere jus civile, testamentum rite ordinatum, nisi per aliud posterius æque solenniter factum, abrogari non posse; ex hoc vero, eum, qui semel testamentum fecit, non amplius intestatum mori posse, haud consequi. Item quærit ille: si testamentum delendo, inducendo, cancellando, & simili modo *tacite* potest revocari, quare non etiam *expresse*? cum expressa revocatio omni modo sit evidentior, quam tacita; hæc enim licet quoad factum sit probata; tamen utrum consulto, an inconsulto illud fuerit expeditum, de eo non semper constat. (y)

(y) vid. MARCKART. d. §. 3. seqq.

§. XXII.

Continuatio ejusdem.

Tertio denique ipsi *menti legislatoris Justiniani adversam* habet MARCKARTVS communem DD. opinionem, ideo, quod iste per verba legis 27. finalia Honorianam Constitutionem penitus abrogaverit; quam quidem propositionem *Ipsē paullo prolixius ita explicat: „Scilicet, inquit, „mea hęc est sententia, Justiniani hanc solam fuisse intentionem, ut, abrogata lege Honorii, constitueret, solum decenniū lapsū nihil nocere debere testamentis semel rite conditis. Quam intentionem ipse perspicue aperit his verbis: Sancimus, si quis legitimo modo condidit testamentum, & post ejus confectionem decennium profluxerit, si quidem nulla innovatio, vel contraria voluntas testatoris apparuerit, hoc esse firmum. Quod enim non mutatur, quare stare prohibetur? Quemadmodum enim, qui testamentum fecit, & nihil voluit contrarium, intestatus efficitur? E contrario, convenienter menti Justiniani, dici potest, si qua innovatio, vel contraria voluntas testatoris apparuerit, testamentum antea factum non amplius esse firmum. Quod enim mutatur, quare stare jubetur? & quemadmodum, qui testamentum fecit, & illud postea stare noluit, testatus efficitur? Hęc consecutio naturaliter derivatur ex ipsius legis verbis. Sin autem hanc Justiniani fingas fuisse mentem, ut post confectum testamentum, præter manifestam & seriam revocationem, coram tribus testibus factam, adhuc requiratur decenniū lapsus, vereor, ne longe molestior fuerit legislator Honorio. Cui bono decennium,*



si manifeste constat de revocatione? Nonne magis rationale foret, solum decenni lapsum ad præsumendam voluntatis mutationem consistuere? Aut enim testator vult mori testatus, aut intestatus. Si testatus, tum vero, si prius nolit valere testamentum, is procul dubio aliud debet ordinare. Et ne tunc quidem fiet testatus, si, testamento priore lacerato aut combusto, morte subita impeditus fuerit, quo minus posterius perficeret. Sin autem, inquit Justinianus, in medio tempore (i. e. quod intercedit inter confessionem prioris testamenti & mortem testatoris, sive decennium sit elapsum, sive minus,) contraria testatoris voluntas ostenditur, si quidem perfectissima est secundi testamenti confessio, ipso jure prius tollitur testamentum. Uti vero nemo dixerit, præter confessionem secundi testamenti, etiam decennium debere præterlabi, ut prius tollatur; ita, si testator velit intestatus decedere, in promptu est dicere, præter revocationem expressam non amplius quæri, an etiam decennium effluxerit. Imperator enim de hoc casu ita: Sin autem testator tantum modo dixerit, non voluisse prius stare testamentum, vel aliis verbis utendo contrariam aperuerit voluntatem, & hoc vel per testes idoneos non minus tribus, vel inter acta manifestaverit, & decennium fuerit emensum: tunc irritum est testamentum, tam ex contraria voluntate, quam ex cursu temporali. Hæc sunt verba, quæ fundamentum contrariæ sententiæ præcipuum præbent, una cum sequentibus: Aliter enim testamenta mortuorum per decenni transcurfionem evanescere nullo patimur modo. Imo posterioribus his verbis explicantur antecedentia, & una convellitur probatio, quam suæ sententiæ inde petunt adversarii. Nam illa: ali-

aliter enim &c. hunc naturalem sensum admittunt, Justinianum ad irrita facienda testamenta, præter decenni lapsum, requisivisse insuper expressam revocationem coram testibus. Ille enim decenni lapsus, neglecta confirmatione, pariebat ex Lege Honorii speciem revocationis præsumptæ. Hanc præsumptionem sustulit Justinianus, exigens expressam revocationem præter decennium. E contrario vero non exegit decenni lapsum præter revocationem. Inter hæc duo mihi videtur non leve esse discrimen. Posterius enim nec Honorius requisivit, & sicuti nec ante Honorium, ita nec ex ejus lege putem decennio opus fuisse, si probaretur expressa revocatio. Potius Honorius, deficiente revocatione, hoc novum jus induxit, ut decenni lapsu in irritum cadat testamentum. Hoc novum jus penitus abrogavit Justinianus, & vetus restauravit, quod nusquam exigit decennium, nec ex solo temporis quancumque decursu præsumebat mutatam voluntatem. Ex lege Honorii poterat casus contingere, ut post decennium a condito testamento mortuo testatore heres scriptus peteret hereditatem inutiliter, nisi confirmatio ejus testamenti interea esset facta. Ex lege vero Justiniani, & veteri Jurisprudentiæ convenienter, petet utiliter, nisi heres ab intestato probaverit, testatorem revocasse, vel post decennium, vel medio tempore, testamentum. Et sic recte dicitur, quia solum decennium nihil efficit, irritum fieri testamentum, tam ex contraria voluntate, quam ex cursu temporali: neque enim aliter per decenni transcurfionem evanescent testamenta, nisi scilicet accesserit revocatio. Denique ita concludit: „Quamobrem quocumque revocatur testamentum, statim corrui, & locus est successioni ab intestato. Id vero solennitatis est, quod Justinianus ab-

abscisse requirat tres testes ad revocandum scil. solenne testamentum: nam de hoc solo cogitavit & locutus est, nec interest, scriptum an nuncupativum sit. In minus solennibus testamentis nec tribus opus esse putem testibus, sed sufficere duos, quia non nisi probandæ mutatæ voluntatis ergo adhibendi sunt. Plures adhibere voluntatis est, non necessitatis. Hæc mihi videntur eo veriora, quo simpliciora. Si vero requiras decennii lapsum præter revocationem manifestam, revocatio testamenti, ut fias intestatus, & relinquantur hereditatem heredibus legitimis, difficilior erit ordinatione testamenti solennis. Expectare enim decennii decursum, superat omnes molestias subtilium testamenti condendi solennitatum. Adde, quod sic eventui incerto & fato committitur hereditas, cui non commisit voluntas testatoris; quod nullo colore cum juris civilis pariter ac naturalis analogia conciliari poterit. „ (x)

§. XXIII.

Removentur Leges obstantes.

Varie objectiones ex LL. desumptæ ipsi MARCKARTO suæque sententiæ videbantur contrariæ; quas vero ex ipsis legum argumentis satis luculenter atque solide resolvit. *Prima lex obstantis apparuit l. 36. §. 3. D. de testam. nil. quæ ita: „Veteranus moriens, testamentum jure communi, tempore militiæ factum, irritum esse voluit, & intestatus esse maluit: Heredum institutiones (ac substitutiones) in eodem statu mansisse placuit: legata vero petentes, exceptione doli mali secundum jus commune summoveri: cuius exceptionis vires ex persona petentis æstimantur; & alioquin*

(x) d. l. §. VI. fere tot,

potior

potior est in re pari causa possessoris. „ Hanc legem ob stare ,
 MARCKARTVS negat, quoniam litem scindat modo inter *heredem
 scriptum & legatarium*, quorum neuter pro se habeat voluntatem
 testatoris: non vero litem inter heredem scriptum & legitimum,
 nec inter heredem ab intestato & legatarios; qui quidem casus
 maxime a se invicem essent separandi. Etenim, si inter here-
 dem scriptum & legitimos fuisset quæstio: sine dubio ab here-
 dibus scriptis avocata fuisset hereditas propter l. ult. D. *de his
 quæ in testam. del. (a)*. Nec *secundo* ob stare sibi defendit §. 7. I.
Quib. mod. testam. infirm. quæ in *pr.* ita: „*Ex eo autem solo non
 potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere.* „
 Magis enim hanc legem respicere dicit casum, quo quis testa-
 tus, quam quo intestatus moriturus est, quod verba sequentia
 indicent: „*usque adeo, ut & si quis post factum prius testamen-
 tum, posterius facere coeperit, &c.* Hoc enim casu posteriorem
 voluntatem cœptam non fuisse perfectam, quia posterius testa-
 mentum æque solennitatibus juris communis fuerit obnoxium,
 ac prius; Qui vero absque testamento decedere cupiat, ei nul-
 las solennitates esse præscriptas; nec jure communi. Quod si itaque
 testator testamentum irritum esse voluit, & serio coram duobus
 testibus declaravit, se malle mori intestatum, nil impedire,
 MARCKARTVS censet, quo minus dicatur: nuda hac voluntate,
 sed seria & deliberato animo declarata, abrogatum esse statim
 prius testamentum, remque perventuram ad heredes legitimos (b).
Tertio adversari ei videbatur regula: *quod Codicillis hereditas nec
 dari nec adimi possit*, secundum l. 27. §. 1. D. *de condit. instit.*

l. 76.

(a) vid. MARCKART. d. l. C. II. tot. (b) MARCKART. d. l. Cap. III. tot.

l. 76. D. ad SCtum Trebell. l. 2. C. & §. 2. I. de Codicill. Ad hoc vero ille, minime jura codicillorum applicari posse ad casum, quo quis vult mori intestatus, respondet; alioquin sequeretur, ut, qui semel heredem scripsit directo jure, non possit amplius decedere, nisi directa hereditate in fideicommissariam mutata, quod nemo unquam affirmaverit (c). Denique *quarto* non contrariam sibi habet l. 17. §. D. de testam. mil. cujus quippe non fit ille sensus, quod non sola exheredatione, sed & aliis modis possit adimi hereditas; vel quod sola exhereditatio in pagani testamento non sufficiat ad adimendam hereditatem, nisi simul in eodem testamento alius instituat; sed fere hic: Si miles eodem testamento eundem heredem exheredem fecerit, hereditatem (*solam*) videri ademtam, quia militis voluntas quoquo modo declarata valeat, quatenus ille voluit: Sin paganus idem fecerit, *solam* hereditatem non esse ademtam, sed & reliqua omnia concidere; quia heredis institutio fit basis testamenti pagani, qua sublata omnia testamenti capita corruant (d).

§. XXIV.

*Lex 27. Cod. de testamentis definit tantummodo casus, quibus testamentum proponitur decennio antiquius; consequentiæ
ex co.*

MARCKARTI sententiam hactenus late expositam vehementer adjuvat aliorum quorundam ingenua interpretatio d. l. 27. non solum ipsis ejusdem verbis, sed & menti legislatoris maxime conveniens. Inter hos inprimis sunt, supra laudatus ZACH.

HVBE-

(c) *Idem*. d. l. Cap. IV. tot. (d) MARCKART. d. l. Cap. V. tot.

HVBERS (e), JAC. VOORDA, ICTUS BELGA (f), PÜTTMANNVS (g), & SCHILTERVS (h), quorum omnium, quia in principalibus una est eademque sententia, singulas non figillatim recensere; tantum tamen memorabimus, quantum ad ipsorum mentem integre intelligendam sufficiet. Ajunt nimirum, potissimum esse inspiciendum consilium & scopum juris novioris, qui ille fuerit, ut Imperator emendaret priores constitutiones, de evacuandis solo decenniali silentio testamentis latas. Sanxisse igitur Justinianum, testamenta mortuorum nullatenus evanescere per solam decenni transcurfionem; sed eo amplius desiderare contrariæ voluntatis expressam declarationem, non qualem qualem, sed sufficienter probatam & ad minimum triade testium munitam. Verba enim textus: „*Aliter testamenta per decenni lapsum evanescere nullo patimur modo*:“, hypothetice esse accipienda, de casu, quo post decennium demum quæritur, an valeat testamentum, an vero tacite sit antiquatum tanti temporis spatio (k). Speciatim hoc ex ipsa lege 27. Cod. demonstrari potest, utpote quæ non de omni testamento, ejusque revocatione agit, sed unice de testamento decennio antiquiore. Tres enim casus in ea proponuntur, quorum primus, quem verba: „*Sancimus — efficitur*“, sistunt, expresse de testamento decennio antiquiore loquitur, maxime per verba: „*decennium profuxerit*.“ Alterum casum verba indicant: „*Sin autem in medio tempore*“, usque ad „*te-*

(e) d. l. Cap. II. §. 8. seqq.

(f) *Electorum libro singul.* Cap. 1. §. 1. cit. p. 288. seqq.

(g) l. cit.

(h) in *Praxi juris romani in foro*

germ. Exercit. XXXVIII. §. 74.

(k) HVBER. l. c. §. 8. PÜTTMANN. d. 1 p. 127. Etiam huic propositioni adfuit MARCKARTVS d. C. 1. circa fin.



„testamentum“, itidem de ejusmodi testamento intelligenda; medium enim tempus non aliud est, quam quod initio & fini decennii interponitur, nec adeo sine decennio isto cogitari potest. Tertium denique casum continent verba: „*Sin autem testator — temporali*“, quem non minus agere de testamento decennio antiquiore, doceant verba: „*& decennium fuerit emensum*“, cum sequentibus: „*quam ex cursu temporali*“, (l). Hac ratione, quando post decennium de valore testamenti quæeratur, PÜTTMANNVS judicat: Imperatorem præter decennium expressam coram tribus minimum testibus revocationem exigere; nullibi autem præter revocationem, lapsum etiam decennii requiri; Quæ cum non satis nonnulli distinxerint, in illum incidisse errorem, ut præter revocationem testamenti semper quoque decennii lapsu opus esse existimaverint (m). Hoc quidem largitur ille, Justinianum accuratius mentem suam exprimere potuisse; Quodsi autem l. 6. C. *Theod.* inspiciatur, simulque cogitetur, nihil aliud Justiniano in l. 27. propositum fuisse, nisi ut d. l. abrogaret, facile omnem scrupulum eximi (n). Eandem sententiam fovet JAC. VOORDA, qui pariter illud modo testamentum pro infirmato

(l) vid. SCHILTER. l. c. Item: spatio testamentum rumpi absque NOHASPEL, de lapsu decennii ad revocationem verbalem testamenti non necessario. Erlang. 1758.

(m) Simili fere modo ZACH. HVBER hunc errorem reprobatur, quando hoc παρών ψεύδος DD. dissentientium appellat, quod jure concessio & expressio l. 27. in aliud utantur, & ex negativa quasi sanctione positivam effingant, ac si Imperator, dum

(n) PÜTTMANN. d. l. p. 127. add. quoque ZACH. HVBER. d. §. IX.

to habet, quod decennium totum ante mortem fuit conditum atque interim ex præscripto legis 27. revocatum; in reliquis testamentis, quæ mors insecuta est citius, nihil ea constitutione novi inductum esse affirmans (o). His suppositis, quomodo revocatio verbalis efficax præter hunc casum sit instituenda, aliunde ex jure nostro terminandum esse putant ZACH. HYBER. & PÜTTMANNVS, atque in hunc finem, argumentis supra (§. XIX.) allegatis freti, ad revocationem verbalem numerum testium septenarium requirunt; HASPELIYS vero arg. d. l. 27. C. eam vel coram tribus testibus vel apud acta valide fieri posse ratiocinatur (p).

§. XXV.

Nostra sententia.

Jam si quæras, quamnam nos teneamus vel ex his sequamur sententiam? dicemus, quid ex Marckarti & post eum nominatorum rationibus nobis placeat; (nam de antecedentibus, quid statuendum, jam diximus.) Placet nimirum, *Constitutionem* l. 27. explicari ex l. 6. C. *Theod.* Placet, inquiri in conflictum & scopum novæ legislationis, quæ sine dubio per verba: „*prioribus constitutionibus, quæ super hujusmodi testamentis evacuandis late fuerant, penitus antiquandis.*„ fuerunt plena & omnimoda Constitutionis Honorianæ abrogatio. Fatemur porro, dictam l. 27. C. *de testam.* nullum alium complecti casum, quam quo de testamento decennio antiquiori quæritur. Et, licet de casu istius medio, dubitari adhuc possit, quia ex eo, quod me-

dium

(o) l. cit. p. 289. seq.

(p) cit. loc. §. 7.

F 3

dium tempus cogitari non possit sine principio & sine ejusdem, nondum sequitur, totum temporis spatium fuisse præterlapsum: hunc tamen casum in connexionione cum casu antecedente & consequente intelligendum esse, justæ interpretationis regulæ omnino suadent. His omnibus si contraria statueremus, varia exinde nascerentur incommoda & absurda, quæ plane cessant, quam primum communem in hac re mittimus opinionem. Cui etenim bono decennium, si manifeste constat de revocatione? Nonne consequeretur, ad revocationem testamenti, adeoque ad intestato moriendum, plus solennitatis requiri, quam ad conficiendum testamentum? Nonne eventui incerto & fato committeretur hereditas, cui non commisit voluntas testatoris? Nonne, si decennii necessitatem admittamus, ejusque cursum computemus a tempore confectionis testamenti, sequeretur: elapso decennio, nec intra illud revocato testamento, revocationem verbalem ex præscripto certe d. l. 27. locum amplius non invenire? cum medio tempore revocationem factam esse hæc desideret; quod si concedas, nova oritur quæstio: an, & quomodo deinceps testamentum verbis possit infirmari? sin vero decennium computes a tempore revocationis, tunc impingere videris contra legem tam Honorianam, quam Justinianeam. Et sic infinitis communis DD. sententia adumbratur dubiis ac difficultatibus; quibus nostra sententia penitus vacat. Accipimus vero quoque, quod ex supra dictis sequitur, quod scilicet d. l. 27. nihil sit constitutum de eo casu, quo de revocatione testamenti testatoris ante decennium demortui quæritur, sed quod ea diserat de illo casu, quo testator elapso decennio post confectionem testamenti vita defunctus est. Credimus tamen, *argumento d. l. 27. Cod.*
qua

qua decennii lapsus ad confirmandam *revocationem coram tribus testibus idoneis vel apud acta factam* non requiritur, sed cujus tenore hæc sola testamentum reddit irritum, innui posse, eandem revocationem, sive ante sive post decennium a confectione testamenti elapsum fuerit suscepta, *legitimum esse testamentum solenne verbis revocandi modum (q)*; ad minus vero *solenne* revocandum, *duorum testium* præsentiam sufficere, quia hos magis probationis quam solennitatis causa adhiberi, nobis habemus firmiter persuasum.

§. XXVI.

Jus hodiernum & praxis communis.

Hactenus quidem disquisivimus, quid sit juris circa revocationem testamentorum verbalem, secundum principia juris civilis romani: jam videre superest, quid jure germanico hodierno & in praxi germanica obtineat. Si statuta Germaniæ spectaveris, plurimum ea lapsus decennii hoc casu silent; in *Jure* tamen *Prov. Hohenloh. (r)* istud decennium l. 27. *C. de testam.* expresse rejicitur; contra ea *Jus Prov. Bavar. & Cod. Maximil.* loc. cit. testamentum septem testibus accitis revocatum, profus sublatum censent. Si testes pauciores, tres tamen adfuerint, testamentum, quod ad legata attinet, illico; quod ad heredis institutionem, non ante corrui, quam a revocationis die decennium effluerit (s). Ceterum generatim hodie, si verbis solis
sive

(q) Nonne forte Imperatoris constitutio, quoad modum revocationis, dicta l. 27. *C. præscriptum*, jure antiquiori vel consuetudinario nititur?

(r) Tit. VIII. §. 5.

(s) Verba sunt: „Wann nach dieser Wiederruffung zehen Jahr verflissen,“ cf. HOFFMANN, d. l. §. XI.

sive simplicibus testamentum revocare placeat, vel testes adhiberi vel acta intervenire oportere, HOFFMANNVS sæpe laudatus multis statutorum exemplis confirmat (t). Etiam *Jure Prov. Würtemb.* revocationem testamenti verbalem coram iudice vel quatuor honestis viris manifestari sufficit (u). Deinde, quod praxin attinet imperialem, ibi communem de hac doctrina receptam esse sententiam, testis est de CRAMER (x); sed praxin communem sequi jus Justinianeum moribus nostris temperatum, proclivoremque esse ad non-ufum decenni, quam ad ipsius ufum; revocationem quoque verbis valide fieri coram Notario & testibus, HOFFMANNVS (y) & SCHILTERVS (z) confidenter affirmant.

§. XXVII.

(t) Sic v. gr. *Jus Prov. Bavar.* Tit. XXXIV. Art. 15. septem testes requirit, quibus quis se, testamento revocato, ab intestato decessurum significet, quamvis postea aliud testamentum conficere non prohibeatur. *Codex Maximil.* P. III. c. 3. §. 24. p. 216. revocatio ut aut in iudicio aut septem testibus congregatis fiat, sancit. *Statut. Suevofuri.* tit. 39. §. 2. testamentum aut apud acta aut in idoneorum testium corona (vor etlichen hiezü tauglichen Personen) infirmum declarari potest, etiamsi quis, se nullum testamentum facturum, non dixerit. Id factum fuisse comprobant heredes ab intestato. *Jure Prov. Hohenloh.* Tit. VIII. §. 5. testamenta aut actis aut testibus interventibus expresse revocare licet. *Reform. Francof.* P. IV. Tit. VII. §. 2. cautum, ut testator, ni novum fa-

cere velit testamentum, prius in codice testamentorum cancellariæ delendum aut per testes olim adhibitos, vel, si hi decesserint, per tres alios id negotii in iudicio expediendum curet. *Reform. Wormat. Lib. IV.* P. III. Tit. VII. revocationem coram senatu fieri permittit. *Statut. Luneb.* P. IV. Tit. VI. testamenta coram iisdem testibus, qui olim rogati fuerunt, aut, his defunctis, coram duobus testibus rogatis tolli & hunc actum instrumento roborari volunt. cf. HOFFM. d. l. §. X.

(u) *Jus Prov. Würt.* d. Tit. XX. §. Ob dann einer &c. p. 399.

(x) *Wetzlarische Nebenstunden,* Part. CVII. Num. IV. p. 398. seqq.

(y) loc. cit. §. 13. seqq.

(z) l. cit. §. 75. med.

§. XXVII.

De effectu testamenti rupti vel in totum vel pro parte.

Si ultima voluntas in totum mutatur, vel revocatione, vel posterioris testamenti confectione, vel deletione aliove simili modo: tunc omnia in tali testamento disposita in universum ipso jure corruunt & annihilantur (a), non solum heredis institutio, sed & legata ac fideicommissa in eo relicta (b). Revocati quoque censentur codicilli testamento cohærentes (c), quia hi facto testamento vires ex eo capiunt (d), pro parte ejus habentur (e), atque ipsius jus sequuntur (f). Ipsa hereditas, rupto testamento, non fitco, sed heredibus ab intestato competit (g). Sin vero revocatio testamenti saltim quoad partem facta fuerit, in eo tantum revocatum illud censetur, in quo mutata dicitur voluntas (h). Licet vero, uti modo ante dixi-

(a) l. 27. C. de testam. Declaratio torem a voluntate, quam in codi-
tamen posterioris testamenti quan-
doque fit ex priore, cujus exemplum
est in l. fin. D. de reb. eor. qui sub tut.
I. de Codic.

(b) l. 3. §. 7. D. si cui plus, quam
per Leg. Falc. l. 18. D. de Leg. 3.

(c) l. 1. pr. C. de Codicill. §. P.
Wirt. P. III. Tit. XXVI. §. Ferners
§c. pr. p. 422. Aliter sese res ha-
bet, si v. gr. nullum testamentum,
sed codicilli tantum ante facti pro-
ponantur: tunc enim hi codicilli fa-
cto postea testamento vim suam
haud amittunt, nisi appareat, testa-

(d) l. 3. §. 2. D. de jur. cod.

(e) l. 14. pr. eod.

(f) l. 16. in f. D. eod.

(g) l. f. D. de his, quae in testam.
del. l. 1. §. pen. D. si tab. test. null.

(h) l. 27. §. 1. de Leg. 3. l. 7. in f.
D. de instrukt. v. instrum. leg. l. 30.
§. 3. in f. D. de adim. vel transf. leg.

G



diximus, effectus testamenti in totum rupti sit ille, ut hoc in universum concidat: varii tamen dantur casus, in quibus testamenta ipso facto revocata nihilominus effectum aliquem nanciscuntur. Fieri hoc potest ex voluntate testatoris vel expressa vel præsumta. Expressa quidem voluntate, si in posterioribus tabulis heredem institutum testator roget, ut priores tabulæ valeant: tunc enim prius testamentum in vim codicillorum conversum videtur, & omnia eo scripta, sive legata sive fideicommissa, sive libertates, sive heredum institutiones, in causa fideicommissi erunt, ac rogatus intelligitur in posteriore vocatus, ut retenta quarta reliquam hereditatem illis restituat, qui testamento priore instituti sunt (i). Ex præsumta vero voluntate, si testator errore ductus posterius condiderit testamentum, in eoque alios heredes instituerit, cum prioribus tabulis scriptos extinctos crederet, & hoc ipsum in posterioribus expresserit (k); vel si testator posteriori testamento falsam causam adjecerit, veluti si probari possit, testatorem ideo posterius condidisse, eo quod putaverit heredem in posteriori scriptum sibi vel consanguinitate vel fraternitate junctum & hoc postea falsum appareat (l); vel denique, si testator supremas tabulas incidit, ut priores supremas relinqueret (m).

§. XXVIII.

(i) §. 3. I. quib. mod. testam. infirm. l. 29. D. ad Sctum Treb. l. 12. §. 1. D. de injust. rupt. irr. l. 19. in fin. pr. D. de testam. mil.

(k) l. ult. D. de hered. instit. conf. VOETIVS, d. l. §. 7.

(l) l. 4. l. 7. C. de hered. instit.

(m) l. pen. §. 2. D. de bon. poss. sec. tab.

§. XXVIII.

Testamentum publicum quomodo revocetur?

Testamentum publicum an sola repetitione seu receptione, aut quam alia ratione revocetur? dubiæ omnino in jure sunt quæstiones; quarum definitionem leges certe civiles satis clare haud exprimunt: quæ tamèn ex justis legum argumentis facile resolvuntur. Quod ad priorem attinet quæstionem: Utrum scilicet ad revocandum publicum testamentum ejusdem repetitione seu receptio sufficiat, nec ne? diversæ sunt DD. sententiæ. Testamentum scilicet, ab actis remotum & a testatore receptum, videri revocatum & non valere, inter alios affirmant FINCKELTHAVS (n), GRYPEN (o), & HENNE (p), qui omnes testamento publico ab actis remoto vim suam plane abjudicant (q). Nec desunt statuta Germaniæ particularia (r) atque præjudicia (s), quæ

(n) *Observationum practic. Obs. 12.* fa; si prius, revocatio in actis judicii annotanda; si posterius, tabulæ in *Observat. de forma conficiendi acta apud Romanos. Hannov. 1753.* actis quatuor hebdomadibus reddendæ; etenim in bonis testatoris asseruatæ vi testamenti judicialis carent. In civitate *Norica* moribus receptum, ut testamenta sublata censeantur, si a Nominatis, (*den Genamien*) qui hæc in re perpetui magistratus deputati videntur, tabulæ repetuntur. Nominati autem isti plerumque signa sua avellunt, atque adeo, si testamenta non apud Nominatos, sed alibi reperiuntur, pro revocatis habentur. vid. *Commentar. ad Reform. Nor. tit. XXIX. L. 12. §. 3.* HOFFM., d. 1. §. 12.
 (o) *Principis rupto. Erford. 1767.*
 (p) arg. l. 19. C. de testam. ubi ita: „nec de ejus unquam successione tractabitur, qui nobis mediis & toto jure, (quod in nostris est *scriniis constitutum*) teste succedit.“
 (q) Sic *jure Prov. Hohenloh. tit. VIII. §. 2. is*, qui elogium suum ultimum actis insinuavit, apud eadem acta, ubi contra sentiat, id indicare jubetur. Si repetat testamentum, judicem certiozem faciat, qua mente repetat, tollendi an inspiciendi cau-
 (r) *vid. HOFFMANN, ibid.*

quæ horum sententiæ patrocinantur. Contrarium vero alii defendunt (*t*), si modo testamenti oblatio actis fuerit insinuata; quia securus esse dicitur, qui actis cujuscunque judicis ultimum suum publicavit judicium (*u*). Nullibi quoque in jure civili ad validitatem testamenti judicialis requiritur, ut illud in judicio deponatur, ibique in perpetuum relinquatur; nec obstant verba d. textus supra memorata (*x*), utpote quæ testatori schedam testamentariam perpetuo in sacris scriniis relinquere saltem *permittunt*, non vero necessario ipsi hoc imponunt (*y*); nec eo licentiam eandem in quemcunque finem repetendi & apud se retinendi ipsi adimunt; quod amplius confirmant ultima ejusdem legis verba: „*Nec institutus heres pertimescat, cum oblatas preces secundum voluntatem defuncti idoneis testibus possit approbare, si ei alia nocere non possunt.*„ Ne dicam, multas adhuc alias posse hujus repetitionis s. receptionis esse causas. Et, si testamentum reperitur integrum apud testatorem, in dubio potius pro testamento, quam contra illud præsumendum est; quod enim non mutatur, cur stare prohibeatur? (*z*) Etiam hanc sententiam, ceu veriorem, perplura Germaniæ statuta confirmant, quæ quippe ejusmodi repetitionem non aliter testamentum judiciale finunt
in-

(*t*) vid. LAVTERBACH. *Diff. de testam. judiciali.* §. ult.

(*u*) d. l. 19. C. de testam.

(*x*) not. (*g*)

(*y*) Aliter fere *S. P. W. P. III. T. 3. §. Wann aber Ec. in fin. ibi ita:* „*Mit angehencker Bitt, denselben hinter einem Gericht biß nach seinem Tod zu verwahren und alsdann*

seinen Nächst-Befreundten zu verkündien, gebührlich zu ersuchen und zu vollziehen.„ Sed nec hoc obstante, *Inclut. Jurid. Facult. Tub. a. 1600.* ad requisitionem Præfecti & Judicii pupillaris *zu Kirchen an der Tech,* pro validitate testamenti ab actis repetiti respondisse, testatur BESOLD. P. IV. Conf. 144. r. 33. cf. LAVTERB. d. l.

(*z*) l. 27. C. de testam. cf. LAVT. d. l.

infirmare; ac si voluntatis mutatio expresse simul declarata fuerit (a). Interim ubi LL. particulares nil de hac re statuunt, tutius testamentum publicum in sacris scriniis vel apud acta, usque ad mortem relinqui, equidem inficias ire nolim. His antepositis facilius quoque ad posteriorem quæstionem: *quomodo scilicet judiciales tabulæ revocandæ sint?* respondetur. Ubi nimirum leges particulares deficiunt, quæ modum istas revocandi determinant; & cum Leges civiles expressæ nos heic deserant, ad analogiam juris confugiendum, argumentumque huc trahendum ex lege 27. *C. de testam.* vi cujus revocatio testamenti judicialis per declarationem voluntatis contrariæ apud acta seu coram iudice expeditam, vel solam, vel cum repetitione seu receptione conjunctam, quin & extra iudicium coram tribus ad minimum testibus idoneis recte fieri poterit.

§. XXIX.

De revocandis Codicillis.

Sicut testamenta tam privata quam publica revocari possunt, ita etiam *Codicillos*, ut speciem ultimæ voluntatis minus solennis, objectum esse revocationis supra traditum fuit (b). *Revocantur* autem *codicilli* vel testati vel intestati contraria volun-

(a) Sic enim *Decisio Electoralis Saxon.* XLIV. ex sola testamenti judicialis repetitione vim illius extinctam esse, conjici non vult, si iudicis signum integrum deprehendatur, nisi testator se revocandi animo testamentum repetere evidenter ex-

posuerit. Similia fere disponunt: *Jus Prov. Boruss. nov.* P. III. Lib. 7. tit. 17. Art. 1. §. 11. *Jus Prov. Hadel.* P. III. Tit. IX. *Jus Prov. Dithmarf.* Art. XXIX.

(b) §. X. med. & nota (b).



luntate codicillantis, vel solenni vel minus solenni, hoc est, vel mediante revocatione solenni testamenti prioris, cui adhærent codicilli, vel ipsis *posterioribus codicillis prioribus contrariis*, quo casu omnino posteriores prioribus derogant (c). Non vero testamentum prius per posteriores codicillos rumpitur; quia in codicillis hereditas directo neque dari neque adimi, & proinde nec exhereditatio scribi, nec conditio adjici, nec heredi substitui potest (d).

§. XXX.

De legatorum ademptione.

Legata quoque reduci possunt, & non tam revocari, quam potius adimi dicuntur. Fieri autem hoc solet vel ipso jure vel ope exceptionis. *Ipso jure* legata adimuntur, cum testator eodem testamento vel codicillis testamento confirmatis voluntatem de adimendo legato vel parte ejus (e) expresse declarat (f). Idque non tantum procedit, si testator contrariam voluntatem *verbis*, sed etiam si *factis* eam declaraverit, veluti, si legatum induxerit (g), rem legatam destruxerit (h), in aliam formam mutaverit, ut ad pristinam speciem reduci nequeat (i), nulla urgente necessitate diffraxerit (k), alii donaverit (l), vel nomen lega-

(c) *Ibidem cit. II. add. §. 3. I. l. 3. C. de Codic.*

(d) l. 6. pr. l. 10. D. l. 2. C. §. 2. I. eod. cf. quoque supra §. XXIII. med.

(e) l. 2. pr. §. 1. 2. D. de adim. vel transf. leg.

(f) pr. I. eod. vide supra §. X. not. (c)

(g) l. 16. D. eod.

(h) l. 67. §. 2. D. de Leg. 1.

(i) l. 38. §. 2. D. de Leg. 3.

(k) §. 12. I. de Legat.

(l) l. 18. D. de adim. v. transf. leg.

legatum exegerit (*m*). *Ope exceptionis* vero adimuntur legata, si quid contigerit, ob quod ademptio præsumi debeat, veluti: si inimicitiae capitales interceserint, neque reconciliatio secuta sit (*n*), vel testator codicillis testamento non confirmatis (*o*) aliove modo coram duobus testibus, vel in scheda, contrariam voluntatem testatus sit (*p*). Porro quoque, ubi a persona in personam fit translatio (*q*), veluti, si quis dixerit: quod Titio legavi, id Sejo do lego, simul *tacita ademptio* intercedit, idque, quod Titio relictum erat, Sejo dari videtur (*r*), licet in eum, cum quo non est testamenti factio, translatio facta sit (*s*).

§. XXXI.

De revocanda mortis causa donatione.

Donationis quidem mortis causa tres sunt species: Una, cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat; Alia, cum quis imminente periculo commotus ita donat, ut statim fiat accipientis; Tertia, si quis periculo motus non sic det, ut statim fiat accipientis, sed tunc demum, cum mors fuerit infecuta (*t*). Sed in eo omnes hæc conveniunt, quod ex pœnitentia *revocari* possint (*u*). Et quam-

(*m*) §. 21. I. *de leg.*

(*n*) l. 3. §. ult. l. 4. D. *de adim. v. transf. leg.*

(*o*) l. 4. §. 10. D. *de dol. mal. & met. exc.*

(*p*) arg. d. l. 3. §. ult. l. 13. D. eod. l. 27. C. *de fideic. junct.* l. 12. D. *de Testib.* cf. BRUNNEM. ad d. l. 3. §. ult. num. 4.

(*q*) Translatio legati fit quatuor modis: aut enim a persona in personam transfertur; aut ab eo, qui da-

re jussus est, transfertur, ut alius det; aut, cum res pro re datur; aut quod pure datum est, transfertur sub conditione; l. 6. pr. D. *de adim. v. transf. leg.* aut contra. l. 89. D. *de condit. & dem.*

(*r*) l. 5. D. eod. §. 1. I. eod.

(*s*) l. 20. D. eod.

(*t*) l. 2. l. 13. §. 1. l. 35. §. 4. D. *de mort. caus. donat.*

(*u*) l. 16. l. 30. D. eod. §. 1. I. *de donat.* vide supra §. X. not. (*d*)



quamvis modum revocandi leges nullibi præscribant: tamen, cum donationes mortis causa fere per omnia ad exemplum legatorum redacta sint (x), ad modum quoque legatorum revocandorum iste, quatenus fieri potest, jure accommodari posse videtur. Ut autem revocari possit mortis causa donatio, fere necesse est, ut aliqua in donando mortalitatis aut redhibitionis mentio fiat; non enim solum imminens mortis periculum hanc inducit mortis causa donationem, uti nec periculi præsentis seu imminentis defectus facit inter vivos donationem; cum & mortis causa donatio sit, si quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sola cogitatione mortalitatis, expressa scilicet, donet (y); & ex adverso donatio inter vivos, si quis moriens, adeoque procul dubio mortis metu conterritus, sine ulla redhibendi conditione donet; quippe quem non tam mortis causa, quam morientem donare, PAPIANVS existimat (z).

§. XXXII.

De revocatione pacti successorii mixti.

Pacta denique *successoria mixta*, si, quod ad revocationem, uti quidem LEYSERVS putat (a), donationibus æquiparantur mortis causa; donationes vero mortis causa in omnibus fere ad exemplum legatorum revocatæ sunt (b): pacta quoque *successoria mixta* pariter ad modum legatorum revocari posse, legitimo ratiocinio concludo.

(x) l. 15. l. 17. l. 35. l. 37. pr. D. eod. §. 1. l. de donat.

(y) d. l. 2. D. de m. c. don.

(z) in l. 42. §. 1. D. eod. add. LEYSER. Spec. ad ff. 108. med. 10.

(a) supra cit. Spec. CCCVIII. med. 1.

(b) vid. §. antec. in med.

STUTTGART, Diss., 1775/92

ULB Halle


007 004 206

3



W 18





Pn: 61 nun.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
REVOCATIONE ULTIMÆ VOLUNTATIS,

QUAM
ACADEMIÆ MILITARIS
STATORE ET PROTECTORE SUMMO
SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO DUCE
AC DOMINO

DOMINO
CAROLO,

DUCE WURTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE

REL. ERL.

PRÆSIDE
JOHANNÈ GEORGIO FRIDERICO HEYD,

J. U. D. ET PROF. ACAD. MILIT. P. O.

IN ACADEMIA MILITARI DUCALI
STUTTARDIÆ Die XI. Dec. MDCCCLXXVIII.

PUBLICÈ DEFENDENT

IN ACADEMIA MILITARI JURIORUM STUDIOSI.

STUTTARDIÆ,
IMPRESSIT COTTA, TYPOGRAPHUS AUL. ET CANCELL.



P. 301

1778, 1.

2

